

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Cette œuvre est hébergée sur « *Notes du mont Royal* » dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES
Google Livres

ANTONINI LIBERALIS

TRANSFORMATIO-
num congeries.

PHLEGONTIS TRALLIANI
de Mirabilibus & longæuis
Libellus.

EIVSDEM De Olympijs fragmentum.
APOLLONII Historiæ mirabiles.
ANTIGONI Mirabil. narrationū congeries.

M. ANTONINI Philosophi Imp Romani, de
vita sua Libri XII. ab innumeris quibus antea scate-
bant mendis repurgati, & nunc demum
verè editi.

Græcè Latineq; omnia, GUTT. GUDANI
DR Q August. interprete: cum An-
notationibus & Indice.



2r

BASILEAE, per Thomam Guarinum,
M. D. LXVIII.

Εἰς Ὑλερμον τὸν Ξύλανδρον
Σεβαστοπολίτην, Κ. Ο.

Οὐδὲν-ἄτορ ξύλῳ-ὁ-βίθ' Ξύλανοι καὶ
ἀνθρώπων,

Ξύλα καὶ ἄνθρωποι ἀνθ' ἑδὲν ἴασι βίη.

Δάραται σείο πέλει μεσέων χαρίτων ἡ γυνήθη,

Ἄνθρωποι οἱ μέσους καὶ χαρίτεσι φίλοι.

Καὶ σύ γε δάρατέων μετέπων σέθεν ἔνομ' ἀπ'
ἀνθρώπων,

Δάραθ' τελίβεις ἰώπος ἀρκιφίλοις.

Τῶν κα' ἐπ' ἡγάμισον ἐμοὶ σὺν ἀείσοι μέσους

Οὐδὲν-ἄτορ μεσέων καὶ χαρίτων-ὁ-βίθ'.

Ὁ-βίθ' βροτῶν ζωῶν

Ἄτορ-ἐθέλεις ἀμβρόσιο.

3
OMDDTB D M M S

fidel. Augustanus, ALBERTO A
STETEN, Georgij V. C. F. ado-
lescenti optime indolis atque
spei, S. P. D.



Vos ad te, ALBERTE
carissime, mitto Libellos,
eos Græcos ex vetustissi-
mis membranis, rarissimo,
mihique aliis nunquam uiso lit-
terarum genere conscriptis, li-
berali permissu Illustrissimi optimique PRIN-
CIPIS ac Domini mei, in cuius bibliote-
cais codex abs me erat repertus, transcriptos,
superiore anno, cum ociosus Augustæ essem,
in Latinum sermonem transtuli. De quibus
edendis in lucem cum cogitarem, simul ve-
nit mihi in mentem M. Antonini de vita sua
librorum, quos (quanquam ἐκλογὰς potius
operis, quam ipsum opus, ipsosque integros li-
bros esse iudico) ante annos fere novem à me
Latinos factos ad patrem tuum, Virum omni
vera laude cumulatissimum, officij causa e-
miseram. Quæ mea lucubratio cum (quod

in p^{ro}ptu est cuius videre atq; iudicare) fœde esset incuria operarum typographicarū deprauata, itaq; planè edita, vt pro non edita censerì optimo iure posset, iam pridem cogitaram de remedio ei malo faciēdo. Postquā autem de cæteris, quæ dixi, opusculis tibi dedicandis constitutum apud me fuit, illico ea mihi ad animum acciderunt, quæ me faciliè impellerent, vt his Antoninum meum adiungerem. Cùm enim ex eodem omnia hæc opuscula penu sint deprompta, (nam Antonini exemplum quo vsus sum, de Palatini Electoris Illustrissimi inclytæ memoriæ OTHONIS HENRICI, & bibliothecæ libro fuisse transsumtum, Gesnerus, vir incomparabilis doctrinæ, ac humanitatis, et cuius morte non maiorem dolorem boni ceperūt, quàm damnum fecit res pub. literaria, affirmavit.) idemq; ijs interpretes, tametsi diuersis temporibus, contigerit: commodè videbantur eodem etiam volumine comprehensa, vnius typographi opera, in manus hominum peruētura. præsertim cùm, sicut prior lucubratio patris tui auspicijs in publicum prodijset, ita postero-

rio-

riorem ego tibi, amoris studiūq₃ erga te mei palam testificandi gratia dedicare animum induxissē. Ad Antoninum quod attinet, ne quis iniquior cramben à me bis apponi eandem putet, emendavi Præfationē, Græca Latinaq₃ auctoris verba, Annotationesq₃: neq₃ à mendis modò repurgavi, sed & nonnulla loca translationis meæ recognita correxī, Annotationumq₃ auxi: ut nunc quidem multis modis verior ac ornatioꝝ prodeat Antoninus noster. Sunt quadam in eo Libro quæ prorsus non attingere videbatur præstare, quàm coniiciendo aliena pro Antoninianis fortassis ingerere. Ipsum quidem Opus abs te alienum putare non potes, cum patrem tuum dominum agnoscat: & eo legendo pulcerrimas inuenies multas, tuæq₃ etiam ætati conuenientes sententias, dignissimas quæ à te memoria infigantur, inq₃ usu vitæ obseruentur. Sed de Antonino in præsentia satis. Quæ autem tibi dono damus, alibi adhuc ne nominari quidem audiui: ut vel nouitatis nomine gratiosa esse apud studiosos librorum esse debeat. Neq₃ inuicunda potest esse eorum lectio, cum sint

narrationes rerum partim mirabiliū ac prodigiosæ, partim falsæ etiam palam, & quæ fidem omnem excedant. Neq; ego hîc disputo de usu huiusmodi narrationum, quod alij multi uarijs ætatibus grauitè copiosèq; fecerunt, & iam pridem inepta illa quorundam morosæ leuitatis hominum explosa est sententia, qui fabulas siue poëtarum, siue alias legi nō debere contenderent. Dubium autem mihi non est, quin hisce in libellis eruditi homines multa sint depræhensuri, cum quæ ad bonorum scriptorum intelligentiam conducant, tum quæ non ignorare sit operæ precium. Verum ego ijs commendandis supersedeo eo libentiùs, quòd ipsi quasi loqui pro se iam nunc, & sibi gratiam lèctorum captare beneficio meo videntur posse. Tibi autem, Alberte, eos inscribere, ac sub tuo nomine reip. literariæ hanc qualem cunq; accessionem fieri propterea volui, vt publicè constaret, te abs me non leuiter diligi atq; coli. Quod quidem meum studium tibi non nobilia ista ornamenta natalium & opum apud me conciliarunt, quæ ego tanti facio, quanti (opinor) debeo: hoc est,

neq;

neq₃ sperno, neq₃ admiror, neq₃ ullis veris bonis antepono. Sed cum tuam indolem expertus essem paternæ æmulam, cumq₃ tu non inuitus bonis literis discendis te dedisses: sicut coram domi meæ institutum illud pulcerrimū opera, consilio, cohortationibusq₃ meis non dicam adiuui atq₃ promoui, sed conatus quidem sum, & volui certè ad id persequendum aliquid tibi adferre adiumenti: ita hoc ipso etiam munusculo confirmare tuum in præclarissimo proposito animum, teq₃ hortari vt strenuè pergas, laboresq₃ non magnos ob incomparabiles eruditionis commoditates alacriter constanterq₃ subeas atq₃ obeas, esse mei officij sum arbitratus. In præsentia nihil addam præter hæc duo. Vnum: Apud sani iudicij homines (quibus se non velle probare, belluinum est) tanti unumqueng₃ fieri, quanti sunt cæres precij, in quibus is operam suam industriamq₃ ponit. Alterum: Quarum laudum gloriam adamaueris, quibus artibus eæ laudes comparantur, in ijs esse elaborandum. Intelligis quid velim. Reliqua cum ex me non ita pridem copiosè tum è patre tuo, viro prima-

rio alijsq; tibi verè fauētibus persape & cre-
brò tibi audire contigit: ea q; tibi cordi fore, ne-
que te spem de te conceptam falsurum, planè
confido. Itaque id vnum restat, vt te Valere
iubeā: rogemq;, vt me vicissim ames. id quod
te facere existimabo, si ita gratum tibi hoc
meum munusculum esse intelligam, vt cal-
caris quasi vice in studijs literarum prosequē-
dis apud te functum sit. Vale: Heidelbergæ,
inter grauissimas occupationes, a. d. V. Kal.

Sextil. Anno repræsentati Seruatoris

M. D. LXVIII.

ANTO-

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Une ou plusieurs pages sont omises
ici volontairement.

VERE' NOBILI. VI-

RO GEORGIO A' STETTEN iu-
niori, Patricio Augustano, summa si-
bi obseruantia colendo, QVINTO D-

MMS DDAND BB- Au-
gustanus, S.



*VM opusculum hoc M.
ANTONINI Imper-
ratoris Romani, eius qui
Philosophus est usurpatus,
instinctu CONRADI
GESNERI, Medici et
Philosophi praestantissimi, mihiq̃ue summa a-
micicia iuncti, de Graeco Latinum fecissem,
eiusq̃ue iam opusculi adornaretur editio: Ut id
laudatissimo tuo, Vir ornatissime, nomini in-
scriberem, non vna me impulit ratio. Nam
& quàm grato animo tua in me beneuolen-
tia (quàm & alias, & superiori praesertim
Maio coràm in patria sum expertus sum-
mam) memoriam colerem, publicè testatum
facere me posse videbam: & haud parum
gratiae tui nominis splendorem huic ipsi edi-
tioni*

rioni conciliaturum iudicabam. Iam cum satis apud me constaret, quis esset tuus de studio sapientiæ, deque ijs quæ ad humanitatem spectant disciplinis sensus, quantaque cum diligentia ab ineunte ætate in ijs versatus, & bonitate earum cultores sectatoresque complexus semper esses: non verebar, ne non gratum hoc qualecunque meum haberes officium. Ipse quidem certè Liber cum auctoris dignitate, tum eius quam tractat rei præstantia, faciliè apud te impetrabit, ut cum tua dignere tutela. de meo labore dicā postea.

Scriptum esse ab ANTONINO Philosopho Imperatore hoc opusculum, id in Annotationibus nostris demonstraui: ut hæc ea repetere, quæ ibi diximus, nihil attineat.

Potissima Verò Philosophiæ capita secū meditatum esse hunc tantum Imperatorem, commentatumque diligenter, vel nostris verbis, vel si mauis, Græca ubi legeris, ipse deprehendes. Etenim tametsi verum est, libellos hos Antonini (ut quidem in nostras ij manus peruenerunt) esse mutilos, misereque
maior

maiore sui parte decurtatos: nihilominus id in promptu est, grauissimas in his ipsis extare de ferenda conditione humana, de contemnenda morte, de societate humana tuenda, de vera beatitudine, de causis miseriarum humanarum, alijsq; id genus compluribus Philosophia capitibus disputationes, easdemq; iuxta argutas, & exemplis comparationibusq; appositissimis perpolitas. Nec absimile est nostri auctoris genus philosophandi, ei quo usum esse Epictetum (qui etate Antoninum non ita multum antecessit, cuiusq; se usum praeceptis noster ingenuè prae se fert) Arrhianus memoriae prodidit. Floruit enim circa illud tempus utcumq; studium sapientiae, cum ipsi Imperatores aut colerent philosophiam, aut certe eius sectatores non aspernarentur. Quo factum est, ut extiterint permulti doctrina & grauitate praestantes viri: quorum partim nomina tantum & dicta factaq; aliquot apud Historiae scriptores extant, partim scripta etiam doctissimi & prudentiae plena nostrum ad aëum perdurauerunt. Enimuero Antoninum

Antoninum ego iudico (neque aliter sentire doctos existimo) non id modò his voluisse in commentarijs explicare, quibus ipse in rebus animum suum occupasset, quibusq; præceptis, exemplis & rationibus sese ad hominis, ciuis, Imperatoris, adeoq; Philosophi nomen cum dignitate tuendum informauisset: sed vnà demonstrasse, quæ esset vera atq; expedita ad tranquillitatem animi, & eam quæ homini in hac vita contingere potest, felicitatem consequendâ via: tum quidnam rei esset, cur plerique hominum adeò de natura, suaq; sorte immeritò conquererentur. Quippe hoc modo philosophia neglecta & spreta vlscitur illos: quorum questus & indignationem sapientissimus poeta Euripides sanè quàm scitè & (vt omnia) eleganter expressit, senem calamitate ictum in scenam producens: qui, cum parum rectè rationes ad vitam tum, cum maximè debuerat, subduxisset, vt incidit in res aduersas, non suæ imprudentiæ culpam agnosceret, sed (qui est mos vulgi) ad futilia & inutilia vota confugeret.

geret. Cuius de inscitia hi extant versus, quos adducam, Latine tamen à me redditos, ne in hoc orationis genere peregrinum sermonem interferam:

Eheu, datum non esse & hoc mortalibus,
Iuuenes ut esse bis queat, iterum & senes?
Nam si domi quid secius fortè euenit,
Corrigimus illud consilio tamen nouo:
Aeuum retractare haud licet. quòd si re-
dux

Iuuenilis aetas esset, & senium duplex,
Peccata vitæ corrigeremus istius,
Vitæ instituto providi melius nouæ.

Capitalis profectò Iphis, & quouis dignus in-
fortunio, qui non præsentem vitam præceptis
exemplisq; rectè informandam moneat: sed
aliam optet, qua huius errata emendari pos-
sent. Quanto rectius Theseus ille Euripideus?
cuius hanc sententiam Cicero alicubi refert:

3. Tusc.
Plut. consol.
ad Apollon.

Nā, qui hæc audita à docto meminissem uiro,
Futuras mecum commentabar misérias,
Aut mortem acerbam, aut exiliij mœstam
fugam,

Auc

*Aut semper aliquā molem meditabar malis:
Ut si qua inueſta diritas caſu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens.*

*At enim è Pphilosophia petendam hanc
Vita institutionem, neque obſcurum eſt, &
ab alijs multis grauibꝫ autoribus ita de-
monſtratum, vt meis verbis hoc ſaltem lo-
co & tempore res non egeat. Id quidem haud
temerè videor addere, eam philoſophandi
rationem quam hic noſter tenuit (hoc eſt,
quæ breuibꝫ præceptis, exemplis, compa-
rationibꝫ propoſitum abſoluit) maiori
hominum parti cū ad intelligendum faci-
liorem, tum ad tenendum memoria commo-
diorem eſſe altera illa, quæ exquisitis diſputa-
tionibus, ingenioſisqꝫ concluſionibus Verita-
tem eruit. quod ipſum eò ſpectat, vt intelliga-
tur, quid præſens Liber communi hominum
Vita formandæ cōducere poſſit. Sed mitto li-
brum commendare, præſertim cū ſemel in-
ceptus legi, facile leſtorem retineat: vt. Verū
fore hoc loco nō dubitem, id quod eſt ſcitè ab
eodem Poeta dictum, Guſtu percepto empto-
rem*

rem allici. De meo labore, & opera quam in
 conuertendo adhibui, superest vt dicam: et-
 si fidem diligentiamq; meam malo doctis col-
 latione facta Græci cum Latino libro aestimã-
 dam relinquere, quàm me aut mea iactare.
 Neque Verò metuo ne quis hanc editionem
 sit insectaturus, nisi si ij sint extituri, qui li-
 brum mutilum, & plerisq; locis interruptum
 interpolatumq; indignè sint laturi lectoribus
 offerri. Quos ego tum deniq; audiendos cen-
 seo, si integriorem ipsi proferat: alioquin si se-
 cundum eos iudicaturi sint docti, efficient vt
 reliquæ bonorum librorum, quas ipsas meritò
 gratas habemus, negligentur: imò si maiori-
 bus nostris idem fuisset iudicium de fragmen-
 tis librorum, aut mutilatis voluminibus, bone
 Deus, quot & quàm præclaros vtilissimosq;
 libros non haberemus hodie? Sed valeant ini-
 qui isti. Sanè mihi hoc incommodo conuer-
 tendi labor mirum in modum est auctus: atq;
 haud scio an ab incepto destitisssem, nisi me &
 verecundia fallendæ quam dederam fidei, &
 propositi mei (id autem est prodesse rei pub. li-
 terariæ

teraria pro virili, eamq₃ ob rē nulli labori vel-
 le succumbere) tenēdi necessitas quādam con-
 firmassent. Latinitati quā fieri potuit maxi-
 mē in hoc negotio studui: nisi quod uoces quas-
 dam, tritas illas, & aptas, non tamen vsita-
 tas apud antiquiores, perspicuitatis causa non
 contemsi. Verba appendere ad trutinam neq₃
 volui, neq₃ verò debui. sensum quidem secu-
 tus sum: an autem assecutus sim ubiq₃, aliorū
 esto iudicium. Cur difficile hoc fuerit, multæ
 sunt, neq₃ non manifestæ causæ. Et si fateor, in
 quibusdam me vel ut diuinarem opus habuis-
 se, vel audacter à codice Græco aut vsu com-
 muni discessisse: quibus locis etsi Annotatiun-
 culis (eram enim occupatior, quā ut com-
 mentandi ocium suppeteret) aliquando con-
 sului, tamē si cui secus videbitur, nihil moror:
 est enim (ut Bacchylidis utar prouerbio) la-
 ta via. Tibi autē, vir præstantissime, & cur
 dedicauerim hunc librum, meumq₃ ei impen-
 sum laborem, & cur utrunq₃ tue amplitudi-
 nis patrocinio non indignum fore duxerim,
 commemoravi iam antē. Supererat, ut orare

te,

te, ut ne hoc meum tui nominis exornandi studium, gratiæ animi erga te declarandi voluntatem aspernareris: sed tanta est tua humanitas, tantusq; in rei literariæ defensores amplificatoresq; (inter quos me vel extremo loco haberi peruelim) amor, ut certò mihi de te polliceri, non obsecrando in dubium vocare tuam bonitatem debeam. Itaq; labore tui deprecandi supersedendum mihi animaduerto. Ego me tibi, quem singulare patriæ nostræ inclutissimæ ornamentum, Musarumq; benignissimum hospitem noui, studiaq; mea commendando: efficiamq; profectò, nisi maturius nobis aliquid eueniat humanitùs, ut ne tuæ te erga me possit pœnitere beneuolentiæ. Vale.

Heidelbergæ, Kalendis Octobribus:

Anno Salutis 1558.

M. ANTO-

M. ANTONINI IM-
PERATORIS DE VI-
ta sua, Liber I.

OMDDDBDMQDDANDBO

Augustano interprete.



B auo meo Vero didici pla-
cidis esse morib. & iræ ab-
stinēs. Existimatione pa-
rentis mei, eiusq; recorda-
tione, ad verecundiam &
viro dignos mores vsus sum. Matrem in
studio pietatis erga deos, liberalitateq;
imitatus: præterea in abstinendo à non
perpetrandis modò, sed & cogitadis fla-
gitijs: tum in frugalitate victus, ab opu-
lentiam comitante luxu remotissima.
A' proauo id habui, vt ne in publicos lu-
dos commearem, sed bonis præceptori-
bus domi meæ vterer: intelligeremque
nullis hac in re parcendū sumptib. Ab
educatore, ne auriga prasinus, aut uene-
rus, neue palmularius aut scutarius fierē:
ab eodem, tolerare labores, esse conten-
tus paruo, operari, non immiscere me

- 2 multis negocijs, haud facîle calumniam
admittere, didici. A' Diogneto, stu-
dium in res inanes non conferre: fidem
abrogare ijs quę de incantationibus, de-
monumq; profligationib. ac id genus a-
lijs reb. præstigiatores & impostores re-
3 ferũt: neq; animi causa coturnices ale-
re, aut similiũ rerum studio & cupiditate
teneri: item liberẽ dicta ferre æquo ani-
mo, philosophię me addicere: audire pri-
mò Bacchium, deinde Tandasidẽ ac Mar-
cianum, scribere dialogos puerili æta-
te: grabatum, pellem, aliaq; ad Græcam
disciplinam pertinentia requirere. Ru-
stici monitu in eam deueni cogitationẽ,
mores meos correctione ac cultu opus
4 habere: non esse imitandos Sophistas,
non esse instituendas de contemplatio-
nibus scriptiones, neq; oratiunculas ad-
hortatorias declamandum, neq; speciẽ
viri exercitijs dediti, ac laboriosi osten-
5 tandam: ad hæc rhetorica, poësi, & astro-
logia abstinendum: domi neq; vestitu,
neq; alijs huius modi rebus vtendũ: epi-
stolas scribendas simpliciter, quo modo
ipsius ad matrem meam est epistola Si-
nueſſa missa: insuper placabilitatem ef-
se, & in alloquio facilitatem exhiben-
dam

dam ijs qui stomachum nobis mouerint, aut aliquid deliquerint, simulatque ij redire ad officium velint: diligenter etiam legendum, neque omnino considerationem summariam satis putandū: neque celeriter adfentiendum alios traducentibus: commentarios Epicūteri legendos, quorum & è domo sua mihi copiam fecit. Apollonius me docuit, vt libertatem sectarer, certamque constantiam: neque aliò vnquam, ne minimum quidem, quàm ad rectam rationem respicerem: ac semper mei similis essem in grauibus doloribus, amissione prolis, morbisq; diuturnis: vtque in viuo exemplo euidenter contēplarer, posse eundem & durissimum esse, & remissum quàm maximè. Tum etiam, vt in percipiendā doctrina me non morosum præberem: sed circumspicerem de homine, qui palàm experientiam, & in tradendis scientijs facultatem, minimum suorum bonorum putaret. Præterea modum beneficia (vt ijs videntur) ab amicis accipiendi, ne vel accepta ea nos viliores redderent, vel stupidè negligerentur atque prætermitterentur. In Sexto de

6

7

mus ad arbitrium patrisfamiliās institutæ, viuendi secundum naturam, grauitatem non simulatam, inque consulendo amicorum commodis sagacitatem, facilitatem erga priuatos, * moresque omnibus accommodatos. Quo fiebat, vt eius consuetudo omni adulatione suauior, ipseque eodem tempore in summa apud eos quibus cum agebat veneratione esset. porro autem expeditam viam ac rationem inueniendi & disponendi præcepta ad vsum vitæ necessaria. item, quod neque iræ, neque aliis cuiusquam animi commotionis vllum indicium dabat: sed simul & quàm maximè affectibus vacuus, & humanissimus erat ingenij. In eodem honestam famam sine iactatione, multarumque rerum scientiam citra ostentationem. Alexandrū Grammaticum obseruabam ab increpationibus sibi temperare: neque ignominiosè castigare, si quis barbarum, solæcum, aut absonum quippiam protulisset: sed ciuilitè id modò, quod dicendum fuerat, pronunciare: perinde ac si respondens vel suam sententiam interponeret, aut rationem re ipsa, non verbo, cum altero conferret: aut omni-
no alia

no alia quadā solerti & obliqua subadmonitione idem efficiebat. A' Frontone didici, vt scirem quę consequeretur tyrannidem inuidia, quę varietas, simulatio: & quòd omnino qui nobis patricij dicuntur, inhumaniores quodammodò sint reliquis. Ab Alexandro Platonico, ne crebrò, néue nisi necessitate coactus, cuiquam dicerem, scriberemúe, me esse occupatum: néue identidem impendentia negocia prætendendo debita familiaribus officia detrectarem. A' Catullo, ne parui facerem, si quid amicus conquereretur, etiamsi nulla id ab eo fieret ratione: sed anniterer, eum in pristinam gratiam reducere. item, vt summa animi contentione præceptorum laudē prædicarem, vti de Domitio & Athenodoro traditum est: vtque liberos verè diligerem. A' fratre meo Seuero, amorē familiariū & veritatis, iusticiæq;. Per eundem cognoui Thraseam, Heluidiū, Catonem, Dionem, Brutum. Idem mihi autor fuit, vt animo conciperem formam reipub. in qua æquis legibus eodemq; iure omnia administrarentur: ac regni, cui nihil esset libertate subditorum antiquius. Eundem obseruavi curis

esse vacuum, constantiam in honore philosophiæ habendo : beneficentiam & liberalitatem perpetuam seruare, bene sperare, ac de amicorum in ipsum amore certò sibi polliceri : à quibus animo esset factus alieno, id ijs non occultum ferre : neque amicis eius opus esse, vt de ipsius voluntate coniecturam facerent, sed eam apertam esse. Maximus adhortatus me est, vt suo exemplo me ipsum regerem, neque vlla in re præcipirarem : animo bono cùm alijs in casibus, tum in morbis essem : vt moribus vterer temperatis, blandis ac grauibus : vt quæ instituissem, expedite, nec magna cum molestia perficerem. Dicebat sibi verba facienti, aut agenti quicquam, neminem non fidem habuisse : ex animi ipsum sententia loqui, vel agere : nullius rei admiratione se obstupuisse : nunquam aut festinasse, aut cunctatum fuisse, neque trepidasse : neque mœsticiæ, neque gaudij nimium fuisse : neque iracundum, neq; suspiciosum : sed beneficum, placabilem, veracem : magisque constantiâ erroris securâ, quàm errorũ correctionem præ se tulisse : nemi-
nẽ fuisse, q se ab ipso cõtẽmprũ, aut ipso
præstan-

præstantiorem putaret: liberaliter quoq;
 faceretur fuisse. Patris notaui humani-
 tatem, & in ijs quæ semel essent accuratè
 deliberata, permanfionem: vanæ gloriæ,
 & eorum qui putantur, neque sunt ta-
 men, honorum contemptum: studium la-
 borum, assiduitatemq;. Libenter audie-
 bat eos qui aliquid reip. vtile poterant
 adducere. In tribuendo vnicuiq; pro di-
 gnitate suum, firmiter perseuerabat: pe-
 ritus vbi intendendum esset, vbi remit-
 tendum. Amores adolescentulorū coër-
 cebat, vtilitati publicæ omnes cogita-
 tiones intendebar. Amicis secum cœnā-
 di, aut iter faciendi necessitatem remit-
 rebat: & qui necessitate aliqua impedi-
 ti, eum non comitati fuerant, eundem
 semper ipsum inueniebant. In consilijs
 accuratè, quid conducere posset, inqui-
 rebat: ac cōstanter, neq; (id quod alijs vi-
 tio datur) obuijs quibusq; cogitationi-
 bus contentus finem consultandi facie-
 bat. Amiciciam conseruabat: neq; vel sa-
 tietatem amicorum capiebat, neque ad
 eos parandos furore aliquo ferebatur. In
 omnibus rebus omnia sua in se reposita
 habebat, læto vultu longè futura proui-
 debat: atq; etiam minima antè præpara-

bat, idq; citra tumultū. Acclamationes, omnemq; adulationem compescebat. Quæ ad magistratum erant necessaria, semper custodiebat: sumtus procurabat, neque detrectabat de ijs rebus causam dicere. Deos citra superstitionem colebat: homines neq; demerebatur, neque auram popularem captabat: in omnibus his sobrius, constans, nusquam ineptus, aut nouitatis studiosus. Has porro res quæ ad vitæ commoditatem aliquid cōducunt, quas fortuna suppeditat, liberaliter, simulq; sine fastu tractabat: ita vt, & si adessent, haud sollicitè ijs vteretur: neq; desideraret, si deessent. Nemo fuit qui eum aut sophistam, aut vernam, aut hominem de Schola esse diceret: sed virum maturum, absolutum, adulatione superiorem, qui & seipsum regere, & alios posset. Iam philosophiam verā profitentes in honore habens, reliquis nihil exprobrauit. Cæterum in consuetudine familiari commodus, graciosusq; extra fastidium erat. Corpus suum moderatè curabat, non vt qui vitæ cupidus, aut cui formæ elegantia curæ esset, non tamen interim negligenter: itaq; suæ diligentiae causa, paucissimis medicorum pharmacis

macis & fomentis opus habuit. Id in eo præclarissimum fuit, quod facultate alicuius rei præditis concedebat absq; invidia, vt oratoriæ, historiæ, legum, consuetudinum, aliorumq; id genus: quin etiam vt gloriam ijs rebus quibus excellebât, adipiscerentur, operam suam ipsis nauabat. Et cum ageret omnia secûdum instituta maiorum, ne hoc ipsum quidē studebat consequi, vt videretur à maioribus accepta obseruasse. Ad hæc, non erat vagus aut leuis, sed locis & negocijs iisdem solebat immorari. Post intentissimos capitis dolores, recens atq; alacer ad cōsuetæ opera redibat. Præterea pauca admodū habebat arcana, & hæc quoque tantū de rebus publicis. Prudens porrò erat, moderatusq; cū in spectaculis exhibendis, tum in operum extructionibus, congiarijsq;, & alijs huiusmodi negocijs: quippe vir quid ex vsu foret potius, quàm quæ gloria factum sequeretur, reputans. Non utebatur alieno tēpore balneis, non erat ædificandi cupidus: non de ciborum, nō vestium texturæ aut insecturæ, non formæ corporis elegantia anxius. Comitatus ei ē prædio, qui eum ab inferiori casa deduceret: inter

ter Lanuvinos plerunq; Tusculano publicano utebatur, etiam deprecante. Omnino in eius moribus nihil inerat inhumanum, nihil inuerecundum, nihil procax: neque dicere quisquam poterat, Ad sudorem vsque. sed omnia ita apta & concinna, vt si per ocium cogitata fuissent, compositè, placidè, firmiter, & sibi inuicem conuenienter. Accommodari posset ei id quod de Socrate memoratur, quod & abstinere potuerit, & frui rebus istis, quibus & carere pleriq; per infirmitatem, & in fruendo continere se nequeunt. At temperare sibi ab vtroq; vitio posse, & sobrium permanere, id verò viri est animo integro inuictioq; præditi: quod ille in morbo Maximi præstitit. A' dijs bonos auos, bonos parentes, bonam sororem, bonos præceptores, familiares, necessarios, amicos bonos accepi, ferè omnia bona: tū quod in nullum eorū quicquam deliqui: quāquam ita affectus, vt, si occasio incidisset, vtiq; aliquid tale admisissem: verū beneficio deorū euenit, ne rerū is fieret cōcursus, qui hoc in me argueret. Id quoq; ijs acceptum refero, quod nō diutius apud concubinam aui sum educatus: quod ad
puber-

pubertatē castus perueni: neque ante
 eam vir sum factus, sed tempus expecta-
 ui. Quod principi & patri subditus fui,
 qui erat omnem mihi superbiam excus-
 surus: ostensusq; , posse eum qui in au-
 la viuat, & stipatoribus carere, & vesti-
 bus pictis, & facibus, staturisq; certi ge-
 neris, reliquoq; luxu: sed licere ei proxi-
 mum priuato homini habitum sumere:
 imò verò eum splendorem, eos qui prin-
 cipes rempub. gerere velint demissiores
 segnioresq; efficere. Itemq; eum fra-
 trem sum nactus, qui moribus suis me ad
 curam mei ipsius habendam posset exci-
 tare, honore autem & amore in me suo
 delectare. Quod liberi mihi neque indo-
 le, neq; corpore prauī nati sunt. Quod
 magnos in rhetorica, poëtica, reliquisq;
 studijs progressus non feci: quæ me for-
 tassis planè detinuissent, si me feliciter
 proficere sensissem. Quod maturè eos à
 quibus sum enutritus, in dignitate con-
 stitui, quod mihi videbantur cupere:
 quodq; id iuuenibus adhuc præstiti, ne-
 que diu eos futuri spe lactaui. Quod A-
 pollonium Rusticum, Maximū cognou-
 i. Quod perspicuè atq; sæpenumero na-
 turalem vitam cum animo meo reputa-
 ui,

ui, qualisnam ea esset: nimirum quòd ad
deos attineret, & eorum munera, cogi-
tationesq; inde promanantes: nihil iam
obstare, quin aut secundum naturam vi-
uerem, aut non: atq; hoc quidē fore mea
culpa, qui deūm monitus, ac tantūm nō
præcepta non obseruassem. Quòd in ta-
li vita meum corpus tandiu durauit.
Quòd neq; cum Benedicta, neque cum
Theodoro ré habui: sed & postea amore
concitus, rectæ rationi parui. Quòd Ru-
stico sæpius indignatus, nihil præterea
admiserim, cuius me pœnitere potuisset.
Quòd mater, cū esset adhuc iuuenis mo-
ritura, reliquos tamen vitæ suæ annos
mecum exegit. Quòd quotiescunq; pau-
peri alicui, aut aliās indigenti opitulari
statuisssem, nunquam audiui, pecuniam
mihi non esse, vnde id facerem: & quòd
mihi nunquam vsu venit, vt in tali re al-
terius ope indigerem. Quòd vxorem ita
obsequentem, mei amantem, ac simpli-
cem habui. Quòd alumni, quibus libe-
ros meos crederem, idonei non defuere.
Quòd in somnis cū alia mihi remedia
sunt data, tum contra sanguinis excrea-
tionem, ac contra vertiginem: hocque
Caieræ. Sicut Chræsæ. * cumq; animū
ad

ad philosophiam adiunxissem, non inci-
di in sophistam aliquem, aut in scripto-
ribus defedi, vel in syllogismis dissol-
uēdis doceret, aut meteoris tractandis.

Omnia enim hæc deorū auxilio, fortu-
naq; indigent. Hæc in Quadis ad Gra-
nuam. * Solebat is sibi prædicere, erit vt
īncidam in curiosum, ingratum, contu-
meliosum, dolosum, inuidum, dissocia-
bilem. Omnia hæc ijs euenerunt, igno-
ratione bonorum & malorum. Ego ve-
rò, qui naturam boni perspectam habeo,
quòd honestum sit, & mali, quòd turpe:
īpsamq; eius qui peccat naturam, quòd
mihi sit cognata (non quia eiusdem car-
nis est, aut seminis: sed mentis, & diuinæ
particulæ particeps) à nullo eorum læ-
di possum. neq; enim in me turpitudi-
nem aliquam quisquam conijciat. Eī
porrò quòd mihi cognatum est, neque
irasci possum, neque infensus esse: vt e-
nim vnus alterum iuuaret in suo opere,
eò nati sumus, vt manus, vt pedes, vt
palpebræ, vt superiorum inferiorumque
dentium ordines: quare contra natu-
ram est, vt inuicem nobis repugnemus:
atqui succensere & auersari se inui-
cem, id quidem est repugnare. Quid-
quid

quid ego sum, id omne constat caruncula, animula & mente. Proinde missos fac libros, neq; stude. Nō datū est. Quin tu, vt mox vitā cū morte cōmutaturus, corpus sperne, q, est tabus, ossicula, & reticuli muliebris instar plexus neruorū, venarū, arteriarū. Animā quoq; considera, qualis ea sit: spiritus nimirū. neq; is idē semper: sed qui in horas alius efflatur, alius forbetur. Restat tertia pars, principatū obtinēs. Proinde sic tecū reputā. Senex es? ne patere hanc principē partē vltērius seruire, neq; alieno impetu raptari: neq; fatū vel prēsens iniquē fer, vel impendens subterfuge. Res deorū plenę sunt prudentiæ: fortuitæ aut, nō carent natura, complexūe eorū quæ à prudentia administrātur. Inde omnia fluūt: necessitas etiā accedit, & totius vniuersi (cuius tu pars es) vtilitas. Porro autē q, natura vniuersi fert, quodq; ad eam facit cōseruandam, id bonū est vnicuius vniuersi particulæ. Conseruant autē mundū, quemadmodū elemētorū, ita & ex ipsis cōcretarū rerū mutationes. Hęc sufficiāt tibi, ac semper p̄ceptorū locū habeāt. Librorū verò sitim proijce, ne murmurās moriari: sed verē placatus, atq; ex animo gratiā dijs agēs.

M. AN-

M. ANTONINI IMPE-

ratoris de vita sua Liber II.

MEmento, quandiu hastenus ea distuleris: ac quoties, prorogato tibi à dijs tempore, eo non vñs sis. Certè aliquando te animaduertere oportet, cuius mundi pars sis, & à quo mundi gubernatore deflueris: tum finem præscripti tibi temporis futurum. Quod quidem tempus si non impenderis tràquil-
 litati animi parandæ, elabetur, neque redibit vnquam tibi defuncto. Singulis horis animo in id incumbe, vt fortiter, quæ admodum Romano & viro conuenit, id quod præ manibus est, peragas: accurata, & non ficta grauitate, humanitate, liberalitate, iusticiâq; adhibitis. Interea animum tuum ab omnibus alijs cogitationibus abduc: quod ita fiet, si vñtum quodlibet negotium, eorum quæ in vita tua exequenda tibi sunt, postremum esse iudicans, ita conficias, vt ne quid vanitatis affectuum à consilio auertentium, simulationis, amore sui, aut earum rerum quæ fato quodam ei negotio adiunctæ sunt improbationis admittatur. Cernis
 m quàm

quàm pauca sint ea , quorum cōpōs
vitam felicem ac diuinæ similem viue-
re homo potest? nam ea qui adseruârît,
ab eo dii nihil vltrâ exigunt. Ignominia
teipsum affice , anime , contemne tei-
psum inquam : vt enim honore teipsum
afficias , non tibi præterea tempus sup-
petet. Vita enim vnicuique id præbet:
quæ tibi prōpēmodum iam exacta est.
Non igitur teipsum venerare , sed felici-
tatem tuam aliorum in animis repositā
habe. Non pātere ab ijs quæ extrinsecus
accidunt , te circumagi : sed ocium tibi
para , vt boni aliquid addiscas , ac vaga-
ri desine. Est & alter declinandus er-
ror : nonnulli enim actibus vitæ suæ cō-
fecti delirant , quòd scopum nullum ha-
bent , ad quem omnes suos conatus &
cogitationes dirigāt. Haud temerè quis-
quam repertus est infelix ea de causa ,
quòd non inquireret quid aliorum ani-
mis accideret : qui verò suiipsius animi
motibus non obsequitur , necessariò mi-
ser est. Horum sēper oportet recorda-
ri , quæ sit vniuersi natura , quæ mea , quo-
modoque hæc ad illam sit affecta , qualis
pars ea cuius totius sit : adhæc , nemi-
nem esse qui obstat , quo minus sēper
ea

ea quæ naturæ (cuius tu pars es) sint consentanea, & agas, & dicas. Theophrastus in comparatione peccatorum, ubi ostendit communioem ea inter se conferendi rationem, philosophicè inquit: ea quæ per cupiditatem committuntur peccata, grauiora esse ijs quæ per iram. Etenim iratus videtur cum dolore quodam, & occultè correptus animo, à recta ratione diuertere: qui verò per cupiditatem peccat, victus à voluptate, intemperantior altero censetur, magisq; effeminatus. Rectè igitur, & vt philosopho dignum erat, in maiori esse culpa pronunciauit, cui voluptas, quàm cui dolor peccandi fuisset causa. ac omnino hic antè læsus, & propter dolorem iratus: ille sponte sua ad delinquendum, cupiditatis explendæ causa fertur. Omnia tibi ita & agenda sunt, & dicenda, & cogitanda, vt si iam nunc vitam in exitu esse arbitreris. Cæterùm è viuis discedere, siquidem dij sunt, nihil habet incommodi: neque enim ij te aliquo malo sunt affecturi. Sin autem vel non sunt dij, vel res humanas non curant, quid attinebat viuere in mundo, deum ac prouidentia vacuo? Enimuero & sunt dij,

& rerum humanarum curam gerunt : & ut ne homo in ea quæ reuerà sunt mala incideret , id quidem in eius potestate posuerunt : in reliquis rebus si quid mali inesset , vtrique & hîc ei prospexissent , ne omnino in malum incideret . Quod verò hominem deteriorem non efficit , quónam id modo vitam eius posset reddere peiorem ? Et quidem vniuersi natura nunquam neque per ignorantiam , neque sciens quidem , non valens autem cauere aut emendare , illa tantum errorem admiserit : neque imbecillitatis , neque inscitiae causa , vt bona & mala bonis malisque hominibus promiscuè & ex æquo accidât . Atqui mors & vita , honor & ignominia , dolor & voluptas , opes & paupertas , omnibus hæc vniuersa eâdem ratione hominibus cum bonis tum malis contingunt , suntq; neque honesta , neque turpia : ergo neque bona quidem , neque mala . Quàm celeriter omnia abolentur , in mundo quidem corpora , in æuo autem etiam eorum memoria . Omnia quæ sub sensum cadunt , ac præsertim ea quæ vel voluptate alliciunt , vel dolore terrent , vel fastu suo clara sunt , quàm vilia sunt ea omnia ,

omnia, & contemptione digna, quàm
 fordida, obnoxia interitui, & mortua?
 Intelligentiæ est, indagare quidnam sint
 ij, quorum opiniones & voces gloriam
 * Quidnam est mors? Certè si quis eam
 per se intueatur, cogitationeq; omnia ab
 ea separet, quæ ei inesse videntur: is iam
 nihil aliud existimabit esse mortē, quàm
 opus naturæ. At verò puer est, qui naturæ
 aliquod opus formidat. Et quidem mors
 nō opus solum est naturæ, sed & prodest
 ei. Quónam modo Deus hominem at-
 tingit, & qua hominis parte? præterea
 quomodo afficitur eo tactu pars illa? Ni-
 hil miserius est eo, qui omnia circulando
 scrutatur, & (quod aiunt) ea etiam quæ
 sunt infra terram rimatur, coniecturaq;
 ea quæ in aliorum animis eueniant in-
 quirir: neq; sentit sufficere, vt suum quis-
 que qui in ipso inest genium obseruet,
 eumq; legitimè colat. Colitur autem, si
 quis seipsum ab animi perturbationib. à
 vanitate, ab indignatione eorum causa
 quæ à dijs aut hominibus aguntur cōce-
 pta, vacuum conseruet. Quæ enim dij a-
 gū, virtutis causa reuerentiā, quæ ab ho-
 minibus, cognationis nomine amorem
 merentur: nonnunquam etiam misera-

tionem, ratione ignorationis eorū quæ bona aut mala sunt. qui sanè defectus nō vilior est eo, quo ne inter album & nigrū discernere possimus, impedimur. Quòd si tria annorum millia tibi viuenda forent, insuperq; triginta alia: tamē recordandum tibi est, neminē aliam ab ea quā viuit vitam deponere, neq; aliam deponere quàm eam quam viuit. Itaque idem est longissimum spacium, cum eo quod est breuissimum. nam quod præsens est, id omnibus idem est: quāquam id quod perijt, non sit idem, atq; id quod amittitur. ita temporis punctum esse apparet. Etenim neq; præteritum aliquis, neq; futurum quicquā amittere potest: quī enim id ei adimatur, quod ne habet quidem? Duo itaque hæc memoria sunt tenenda: Vnum, omnia ab æterno esse eiusdē formæ, atq; circulo reuolui: neque differre quicquam, eadē mne centum aliquis, aut ducentis annis, an verò infinito videat tempore. Alterum, quòd is qui diutissimè vixit, & is qui celerrimè moritur, tandem amittunt: eo enim tantum priuantur, quod præsens est, quando id etiam solum habent: quod autem non habetur, id ne deperditur quidem.

Vniuer-

Vniuersa esse sita in opinione: quod patet ex his quę cum Monimo Cynico sunt disputata. Perspicua autē est eius quod dictum est vtilitas, si quis eatenus eius suauitatem admittat, quatenus veritati congruit.

Anima hominis contumelia seipsam multis modis afficit. Primò, cū quantum in ipsa situm est, abscessus quidam, & quasi vlcus mundi sit. Abscedit autem à natura, quando ea quę sunt, iniquo fert animo: cuius quidem naturę vna in parte reliquę singulorum naturę omnes continentur. Deinde, cū hominem aliquem auersatur, aut lædēdi causa auersatur: hoc est iratorum. Tertiò, cū voluptati aut dolori succūbit. Quartò, cū simulat, fisteq; aliquid aut facit aut loquitur. Quintò, cū aliquam actionem aut conatum ad nullum certum scopum dirigit, sed frustra quicquam, nullaq; consequentia agit: cū oporteat etiam minima quęq; ad certū finem referri. Finis autem animanti ratione prædito propositus est, vt rationē atq; legē ciuitatis vetustissimę sequatur. Humanę quidem vitę tempus, momentū est, natura fluxa, sensus obscurus: totius corporis tēperamentum putrescit

3 facile, anima vaga est: fortuna quæ sit, difficile est conijcere: fama incerta est. Atq; vt summam rei dicā, omnia quæ ad corpus pertinent, fluuij naturam habent: quæ ad animam, insomnij & fumi: vita bellū est, & peregrinatio: fama post mortem, obliuio est. Quid ergo est q, tutò hominē possit deducere? Philosophia. Ea verò in hoc consistit, vt genium qui in te est, incontaminatū conserues, atq; illæsum, voluptatibusq; & doloribus superiorem: vt nihil frustrā, nihil fictè aut falsò agas; nihil cures, agatne quicquā aliud, aut omittat: præterea, vt ea quæ accidunt, fatōue eueniunt, ita accipias, tāquā inde missa, vnde tu quoque veneris, postremò, vt placido mortem animo expectes: quippe nihil aliud, quā dissolutionē elementorū eorū, ex quib. vnūquodlibet animal cōcretum est. Iam si ipsis elementis nihil mali euenit continentibus istis mutationibus, quib. ipsa inter se, alia idētidem in alia vertuntur, quæ'nā causa est, cur de mutatione vniuersi corporis, dissolutioneq; , sinistram quicquam suspicari debeamus? cū ea secundum naturam fiat. Nihil verò malum est, quod naturā euenit. Hæc Carnunti disputata.

4

M. A N.

M. ANTONINI IMPE-

ratoris de Vita sua Liber III.

NON hoc tātū est considerandū, singulis diebus vitā consumi, partemq; eius subinde minorē relinquī: sed & hoc cogitandū, quod etsi quis diutius sit victurus, incertum tamen est, sit' ne suppeditatura eadem intelligētia ad cognoscēdas res, & contrēplationem, cuius finis est peritiā rerum diuinarum atq; humanarum. Etenim si delirare ceperit homo, spirabit quidem nihilominus, nutrietur, imaginabitur, appetet, reliquasq; id genus facultates retinebit: ea verò vis, qua se ipso vti queat, rationes officij subducere accuratas, quę animo precepit in ordinē collocare, de eo ipso iam tempus sit vitam relinquendi deliberare, ac si quę alia sunt, ad quę obeunda ratione probè exercitata opus est, ea inquam vis iam antè extincta est. Festinandum est igitur, non ideo solum quod subinde morti propiores simus: sed & quia rerum intelligētia nos ante exitum vita destituit. Id quoq; obseruandum, ea quę ad pendicis quasi loco adherent his

m 5

quę

quæ natura fiunt, habere nonnihil gratiæ & oblectationis. vt cum panis pinfitur, videmus quasdam particulas eius rumpi: quod ipsum etfi quodammodo accidit præter institutum pistoriæ artis, habet tamen nonnihil decoris, appetitûq; cibi suo quodam modo excitat. Ficus quoq; quum maximè maturæ sunt, fatiscût: itemq; oliuis maturissimis quiddam putredini proximum, pulcritudinē peculiarem addit. Iam spicas deorsum se flectentes, leonis supercilium, spumam apertū ex ore effluentem, multaq; eiusmodi alia si quis seorsim consideret, intelliget ea etfi longè absunt à pulchritudine, tamen quia rebus naturalibus inhærent, & eas consequuntur, eo & ornatum his adferre, & delectare. Quamobrem qui attentius ea quæ in rerum natura fiunt mente contemplatus fuerit, nihil non eleganter esse factum putabit, etiam eorum quæ appendicis loco res naturales consequuntur. Itaque veros belluarum rictus haud minori cum voluptate aspiciet, quàm quos pictores & figuli effingunt: vetulæ etiam & senis maturam ætatem, puerorumque amori aptum florem castis oculis intuebitur:

bitur: multaꝫ; alia cerner, non apud omnes fidem inuenientia, sed apud hunc solũ, qui naturam, eiusque opera rectè intelligit. Hippocrates cùm multos sanasset morbo, ipse morbo decessit. Chaldæi multis finem vitæ prædixerũt: post, ipsos etiam fatum arripuit. Alexander, Pompeius, & C. Cæsar, cum totas vrbes toties deleuissent, commissoꝫ; prælio multa equitum peditumꝫ; millia obtruncassent, ipsi quoque tandem vita excesserunt. Heraclerus, multa de natura rerum, & incendio finem vniuerso alaturum cum disputasset: ipse intercute aqua distentus, stercore bubulo oblitus, mortem obiit. Democritum pediculi, Socratem cicuta absumpsit. Quorsum hæc? Ingressus es vitam, nauigasti, vectus es: discede. Quod si abeundum est in aliam vitam, equidem ne ibi quidem erit quicquam dijs vacuum: sin omnia sensus adimetur, non iam præterea dolores ac voluptates ferendæ, neque seruendum vasi tantò deteriori. Quinimò quod seruit, id supererit, nimirum mens & genius: cum vas illud terra sit, & tabus. Proinde reliquum vitæ tempus ne absolve de alijs cogitando,

nisi

nisi ad commune aliquod commodum id referatur: alioquin enim interim ab alio negotio detineberis. Nam cogitare, quid hic vel ille agat, quamobrem, quid loquatur, quid cogitet, quid moliatur, aut omnino de alijs esse sollicitum: id verò efficit ut euagemur, neq; observemus eam quæ principatum in nobis obtinet partem. Itaq; in serie cogitationum declinanda est vanitas, omniumq; maxime curiositas & malicia. Adsuefacere te ipsum debes, ut de his tantum rebus cogites, de quibus si quis te subito interroget quid nunc mediteris, confestim liberè possis respondere, hoc aut hoc: nimirum ut statim constet, cogitationes tuas esse simplices, placidas, consentaneas animali sociato alijs, ac negligenti earum quæ ad voluptatem oblectationemue faciant cogitationum, vacuo contentionis, invidiæ, suspicionis, aliorumue, quæ si te animo agitasse passus esses, pudore suffundi oportuisset. Vir ad hunc modum compositus, non est cur diutius expectet nomen eius qui in optimorum sit numero. est enim sacerdos quasi, & administer deum, utiturq; eo quod in ipso tanquam in sacrario est positum. Id autem hominem

nem præstat purum à voluptatibus, in-
 uiolatum à doloribus, intactum à libidi-
 ne, inscium omnis maliciæ, certatorem
 maximicertaminis (ne scilicet ullus eum
 affectus deiiciat) altè tinctum iusticia, ex
 animo contentum ijs quæ eueniunt, fa-
 rōue destinata ipsi sunt: non sæpe, neq;
 nisi magna & publica necessitate vrgen-
 te, de aliorum dictis, factis, aut cogitatio-
 nibus meditantem. solis enim ijs quæ in
 ipso sunt ad agendum intērus est, ac quæ
 à fato vniuersi ipsi sunt destinata, conti-
 nenter considerat. Nam illa censet hone-
 sta & pulcra: quæ verò sibi obrigerunt,
 ea bona esse persuasum habet: quippe v-
 niuscuiusque fatum & constat aliunde,
 & secum aliud adfert. Meminit etiam,
 omnia ratione prædita esse inter se co-
 gnata: esseque hominis naturæ con-
 ueniens, vt omnium hominum curam
 gerat. Existimationem autem non ab
 omnibus hominibus petendam, sed ijs
 tantum qui naturæ conuenienter vi-
 uunt. qui verò aliter viuunt, hi quales se
 domi & extra ædes, noctu atq; interdiu
 gerant, ac quibus se hominibus admi-
 sceant, perpetuò memoria tenet: ab his
 igitur laudari se nihil curat, quum ij ne
 sibi

fibi quidem ipsis probentur. Ne inuitus accedas ad agendum, neque cœtus humani immemor, neque non bene cogitata re, neque patere te retrahi: ne in cogitationibus tuis astutiâ secteris, neque verbosus sis, neq; multa negocia suscipias. Enimuerò Deus qui in te inest, præsit tibi, masculo animati, seni, ciui, Romano, ac principi: qui se ita comparauerit, ut ad abitum instructus expectet, quando receptui ex hac vita canatur. Ne iuramento indigeas, ne ué hominis alicuius testimonio. Hilari esto vultu, ac qui externo ministerio possit carere, eaque quam alij suppeditent quiete. Rectum esse expedit te, non qui lapsus se erigat. Si quid in vita humana inuenis potius iusticia, veritate, temperantia, fortitudine, aut si quid aliud melius est quàm animum tuum esse seipso contentum, quatenus præstat ut secundum rectam rationem agas: si inquam, in fato, & ijs quæ absque tuo delectu tibi sunt destinata, inuenis aliquid his quæ dixi præstabilius, eo ut fruaris, toto animo incumbere. Sin eo qui in te est collocatus genio nihil præstantius inuenis, qui & appetitus sibi ipsi subie-

subiecit, & visa examinat, & à persuasionibus sensuum (vr dicebat Socrates) seipsum abduxit, seque Deo submisit, & pro hominibus procurat : si hoc inferiora omnia, & viliora depræhendis, nulli alteri rei locum concede, ne semel ad eam inclinans, posthac proprium illum tuum bonum præferre omnibus rebus nequeas. Nefas enim est, vllam aliam diuersi generis rem bono ratione prædito & effectrici opponi : vr laudem popularem, principatum, diuitias, voluptatum perceptionem : hæc omnia, si vel parùm te ijs accommodare visum fuerit, confestim præualent, & à recta via abducunt. Tu verò, inquam, simpliciter ac liberè id quod est melius elige, ei que inhære : melius autem est, id quod conducit. Atq; hoc ipsum si ea ratione sit vrile, quatenus mentem habes, serua : sin quatenus es animal, repudia, & iudicium integrum retine. Id modò cura, ne quid pro tuo còmodo amplectaris, quòd possit aliquando te compellere ad fallendum fidem, prodendam verecundiam, odium alicuius, suspiciones, imprecandum, simulandũ, appetédumue aliquid, quod parietes & velamen-

velamenta desideret. Etenim qui menti ac genio suo, & sacris virtutis eius primas defert, is tragœdiam nullam excitar, non gemit: non solitudinis, non frequentia hominum indigebit: plerumque viuet neque appetens quicquam, neque fugiens: diuine, an paruo temporis spacio inclusa corpori anima vratur, nihil omnino curabit. nam etsi continuo migrandum sit, ita facile dissoluetur, ut si ad aliam quandam functionem verecunde ac decenter, obeundam se conferat. Id vnum si per vniuersam vitam obserues, ut cogitationes tuę semper sint de ijs rebus quę ad societatem ciuilem nato animali, ei que rationis compoti conueniant: nihil vnquam in animo deprauatum, nihil purulentum, nihil contaminatum, nihil suggillatum inuenies: (neque verò fatum vitam imperfectam adhuc abrumpit, quę admodum dici posset de tragœdo fabula nondum peracta discedente:) præterea nihil seruale, nihil fucatum, nihil alligatum, nihil abscissum, nihil obnoxium, nihil occultum. Venerare facultatem cogitatricem: in eo enim sunt omnia, ut pars tui principatum obtinens nihil vnquam animo concipiat, quod sit nature inconueniens,

ueniens, aut cōstitutioni animālis ratione præditi. Illius autem constitutionis est munus, vt à temeritate alieni, cœtui humano adiuncti, dijsq; obsequentes simus. Proinde omnibus proiectis, hæc modò pauca comprēhende, ac memoria tene, quòd vnusquisque tantum id quod præsens est temporis punctum viuit: reliquum vitæ aut iam exactum, aut in incerto positum est. Exiguum sanè tēpus, quod viuit quisq; : perexiguus etiam terræ, in quo viuitur, angulus: etiam longissima post obitum fama, exiguum est, quæ & ipsa per successionem cōseruatur hominulorum mox moriturorum, ac ne se quidem ipsos cognoscentium, nedum eum qui iam pridem fato cōcessit. Ad dendum his quæ commemorauī præceptis vnum: nempe eius quæ quouis tempore animo nostro cogitanda accidit, rei definitionem seu descriptionem esse faciendam, quò tecum ipse differere possis, quæ nam sit eius nuda & ab omnibus alijs separata natura, ac qualis: tum quod proprium eius nomen, quæ item appellationes eorum è quibus ipsa cōflata est, & in quæ dissoluatur. Nihil enim perinde animum magnitudine extollit, ac

vià & verè posse singula quæ in hac vita nobis occurrunt, examinare, atq; eo modo semper intueri, vt vnà deprehendatur, cuiam vniuersi parti vnumquodq; vsui sit, quo in precio habendum ratione cùm ipsius vniuersi, tum hominis qui ciuis est supremæ ciuitatis, ac cuius quasi domus sunt reliquæ ciuitates. Quid est, quibus ex elementis concretum, & quandiu fert natura eius vt permaneat, id quod modò cogitationē animo meo attulit? qua porrò virtute ad id vsus erit? scilicet mansuetudine, fortitudine, veritate, fide, simplicitate, ea qua totus ex me aptus sum, cæteris? De singulis ergo dicendum: Hoc diuinitus venit, hoc fati cōnexiō, casusq; aut fortuna attulit: hoc profectum est à cognato meo & socio, ignaro quidē quæ'nam esset eius natura: ego autem & noui, & eo secundum legē societatis naturalem vtor æquo animo, iusteq;, simulq; in medijs rebus coniecturam facio vt vnicuiq; suum, vt dignū est, tribuam. Si rectam rationem sequēs, id quod instat agas diligenter, firmiter, æquo animo, neq; instituto negotio alia admisceas, sed tuum genium sincerum cōserues, perinde ac si iam is dimittēdus
tibi

tibi esset, atq; ita si perseveres nihil expectans, nihil fugiens, sed eo quod secundum naturam agis, & heroica in dictis factisq; veritate contentus: bene viues. Nemo autem est, qui hoc impedire possit. Quemadmodum medici ad subita mala curanda, in promptu sua instrumenta habent, atq; ferramenta: sic tu ad res diuinas humanasq; præcepta instructa habes, atq; parata: omniaq; etiã minima ita age, vt memineris hæc duo genera inter se esse cónexa. Neq; enim rem vllam humanã rectè perfeceris, nisi simul eam ad deos referas: neq; contrà. Non erra amplius. nõ enim cõmentarios leges tuos, neq; priscorum Romanorũ & Græcorũ acta, excerptraq; è libris, quæ tibi ipsi in senectute vtenda reposuisti. Itaque ad finem propèra, vanasq; spes missas faciēs, tibi ipsi opem fer, siquidẽ (dum licet) tui rationem habes vllam. Nesciunt quàm multa significet vocabulum furari, fere-re, emere, quiescere, videre quid sit agendum: quorũ hoc non oculis cernitur, sed alio visu. Corporis sunt sensus, animi appetitus, mentis præcepta. Imaginari aliquid, & visum concipere, nobis cū pecoribus est commune. Moueri appetitus

n 2 explendi

8 explēdi causa, id quidē & belluis cōtingit, & androgynis, & Phalaridi, & Neroni. Porro mentem ducem habere ad ea quæ apparent esse officij, eorum etiam est qui deos esse negant, qui patriam deferunt: qui, simulac fores clausere, nihil non turpe perperrant. Si igitur reliqua his quæ diximus omnibus sunt communia: reliquum sanè est aliquid, quod proprium sit viri boni: nempe æquo animo ferre ea quæ accidunt, fatoq; ei eueniūt: in pectore collocatum genium nō commouere, neq; turba visorum perturbare, sed quietum seruare, eiq; decenter tanquam Deo obsequi: nihil à veritate alienum loqui, nihil præter iusticiam agere. Quod si nemo hominū credat eum simpliciter, verecundè, ac tranquillo animo viuere: tamē neq; succensebit cuiquam, neq; deflester à semita ad finem vitæ ducente: ad quem finem venire debet homo purus, quietus, ac dissolutu facilis, & qui nulla vi coactus vltro suo se fato accommodauerit.

M. AN-

M. ANTONINI IMPE-
ratoris de Vita sua Liber IIII.

QUæ in nobis inest pars principa-
rum tenens, ea si secundum natu-
ram se habeat, ita ad ea quæ ac-
cidunt comparata est: ut quouis tempo-
re facile ad id quod possibile est, & con-
ceditur, se adiungat. Neque enim mate-
riam aliquam sibi propriam subiectam
habet: sed ut cum exceptione quadam
ad ea fertur quæ proposita sunt, ita id
quod offertur ei, pro materia sua accipit.
quemadmodum ignis, qui ijs quæ inci-
dunt præualet, à quibus exiguus lychnus
fuiſſet extinctus: at copiosior ignis sta-
tim ea quæ ipsi iniecta sunt, sibi accom-
modat, atque consumit, atq; ex ijs ipsis
augetur. Nihil agendum frustra, neque
aliter quàm secundum contemplatio-
nem, qua artis defectus cõpleatur. Se-
cessus vulgò quæruntur hominibus, ru-
ra, litora, montes: tu quoq; soles maximè
ea desiderare. Atqui id planè est rudium,
& abiectæ sortis hominum. Tibi qua-
cunq; visum fuerit hora, licet in teipsum
recedere: nusquam enim neq; tranquil-
lior,

lior, nec maioris ocij secessus homini datur, quàm ad animum suum: præsertim ei qui intus ea habet, in quæ aspiciens, statim summam animi tranquillitatem reperit: bene nimirum omnibus intus cõpositis. Continèter igitur te eò recipè, ac te ipsum renoua. Breuia autè sint quædam, & elementorum vicem obtinètia, quæ tibi statim occurrant, omniq; te molestia liberent, & remittat nihil indignè ferentem eorum ad quæ reuerteris. Quid enim fers indignè? num hominum improbitatem? Reputa tecû, ita esse statuendum, ratione prædita animantia vnû esse alterius causa natum: tum æquanimi-
tate partè esse iusticiæ: item non sua eos peccare voluntate quàm multi exercitis inimicij, odijs, suspicionibus confossi perierunt, ac in cinerem redacti sunt? itaque desine tandem. At molestum tibi est fatû tuum? in mêtē reuoca illâ à dis-
cussis ratiocinationem: Vel prouidentia, vel atomi, vel alia quibus demonstra-
tum est, mundû instar ciuitatis esse. At quæ corpus attingunt, ea te afficiunt? cogita intelllectum, cum semel seipsum col-
legerit, suamq; vim perspexerit, nò per-
misceri spiritui leniter aut asperè moto:
præ-

præterea quæ de voluptate & dolore auditu perceperis, atque illis adfenseris, repete. Sed forsitan gloriola te sollicitum tenet? respice quàm celerrimè omnia obliuione deleantur, quod sit chaos infiniti vtrinq; æui, quàm inanis famæ sonus, quanta inconstantia & incertitudo opinionum humanarum, quàm arcto includantur hæc omnia loco. Quippe punctum est terra, atque huius ipsius quàm perexiguus angulus habitatur? quot verò sunt in ea ipsa, aut quales illi qui te sint laudaturi? Proinde memento in hæc (quã demonstraui) particulam tui recedere: idq; præcipuè cura, ne cupiditate traharis, sed liber mane: resq; ita intueri, vt virum, vt hominẽ, vt ciuem, vt animal mortale conuenit. Cæterum ex his quæ tibi inspicienti quàm maximè in pròptu esse debeant, duo sunt: alterũ, q, res ipsæ animã nõ cõtingũt, sed extra eam firmatæ persistunt. perturbationes tantum ex internis opinionib. nascũtur. Alterum, q, omnia hæc quæ cernis, statim mutabũtur, neq; erunt amplius: perpetuoq; cogita, quot iam eorũ mutationib. ipse interfueris. Mũdus quidẽ rerum in varias subinde formas mutatio est, vita in opinione

consistit. Si intelligentia esse præditum, hominibus nobis inter nos est commune : erit & ratio, ob quam illud nobis adest, communis. sin hæc, etiam ratio quæ præcipit quid agendum sit, quid omit-
tendum, communis erit omnium: proinde & lex. Quod si ita habet, ciues sumus: ergo ciuitatis alicuius participes. Quo relinquitur, mundum ciuitatis loco esse : cuius enim alius ciuitatis dicere possumus communionem esse humano generi? vtrum itaq; ex hac communi ciuitate nobis esse capacib. intelligentiæ, vti ratione & lege, datum est, an aliunde? Vt enim terrenæ mihi à terra aliqua particulæ sunt tributæ, & humor ab alio quodam elemēto, itemq; spiritus, calor, & ignea natura, suis singula à fontib. ad me deriuata sunt, (nihil enim est, quod non & alicunde veniat, & aliquò abeat:) ita & intelligentia nobis alicunde data est. Mors, perinde ac vita, arcanum est naturæ opus, ex iisdē elemētis in eadē confusio & mixtio. deniq; non est ea res, cuius pudere aliquē debeat: neq; enim est contra causas animalis mente donati, neque cōtra eius structuræ rationem. Hæc ita, hisq; de causis sūt necessariò: quod qui
feri

fieri nolit, perinde faciat, ac si ficum arborem succo velit carere. Omnino autem memineris, intra breuissimum tempus & tibi fore moriendum, & alteri paulo post, ne nomen quidem vestrum supererit. Tolle opinionem, simul etiã de accepto damno abolebitur cogitatio : hacq; sublata, ipsum etiam damnum non erit. Quod hominem seipso deteriore efficeret non potest, id neq; vitam eius peiorem reddit, neq; lædit, neque extrinsecus, neq; intrinsecus. Natura vtilitatis hoc necassariò fecit, vt quicquid accidat, iustè accidat. Quòd si diligenter obserues, ita habere inuenies. Atque hoc, dico, non tantum causarum consequentia ita fieri : sed etiam ratione iusticiæ, & ab aliquo, quòd tribuat vnicuique pro dignitate suum. Itaque, vt cepisti, obseruare hoc perge : & quicquid facies, hoc modo age, adhibita bonitate, quomodo verè bonus intelligitur : idque in omnibus tuis obserua actionibus. Non ita tibi sentiendum est, quemadmodum is qui iniuriam facit, vel ipse sentit, vel te existimare vult : sed res ipsæ quid verè sint, perspicce. Semper hæc duo in promptu habenda sunt :

da sunt: alterum, vt id t̃at̃um agas, quod ratio eius partis quę regnum in te & potestatem obtinet legislatoris, te hortatur: idq; propter hominum vtilitatem. alterum, vt si quis adsit, qui te corrigere, & ab aliqua opinione deducere velit, sententiam mutes: modò vt ea mutatio fidẽ mereatur iusticię, aut publicę vtilitatis, aliũsue huiusmodi causa, non voluptatis glorięue gratia facta esse. Ratione præditus es: cur ea non vteris? quid enim præterea desideras, ea suum obeunte officium? Scis te, vt partem, interiturum in eo quod te produxit vniuerso: imò potius facta mutatione assumeris ad mentem eam, quę est reliquarum origo. Multa thuris grana eidem arę imposita, vnũ altero prius igni corripitur: sed nihil interest. Intra decimũ diem, Deus videberis ijs, qui te nunc bestiam & simiam putant: siquidem ad præcepta & venerationem mentis reflectas, neq; cogites vitam tibi in immensos annos prorogatũ iri. Mors imminet: ergo dum viuis, & licet, bonus vt sis cura. Quantum ocij lucratur, qui non videt quid proximus dicat, agat, aut cogiter: sed tantũ quid ipse agat, curatq; vt hoc iustum sit & fas?

ac qui

ac qui secundum (Agathonem fortè)
bonum non circumspicit nigros mo-
res, sed propositam lineam recto, non va-
go cursu tenet. Qui famæ post mortem
cupiditate ducitur, non cogitat quemli-
bet eorum qui ipsius mentionem sint fa-
cturi, mox ipsum etiam moriturum: de-
inde itidem eum qui huic succedit, idq;
eò usq;, dum omnis memoria per atto-
nitos inani fama, extinctosque homines
propagata aboleatur. Quinetiam fin-
ge, immortales fore eos qui tui recorden-
tur, immortalemq; tui futuram memo-
riam. quid ergo id ad te, ne dicam, mor-
tuum? Quid vel viuo tibi laus prode-
rit? nisi ratione cuiusdam dispensatio-
nis: omitte enim nunc naturæ munus,
huic tempori non conueniens, & de quo
suo loco erit differendum. Omne quod
pulcrum est ex seipso tale est, atque in se
ipso absolvitur, nullamque sui partem
habet laudem. Ideo id quod lauda-
tur, eo ipso neque peius fit, neque me-
lius. Idque etiam de ijs intelligi volo,
quæ communiori nomine pulcra aut
bona dicuntur: vt quæ ex materia fi-
unt, & artis opera. Id autem quod re-
uera bonum est, non magis alia quadam
re opus,

re opus, ad id ut sit bonum, habet, quàm
lex, veritas, tranquillitas animi, verecū-
dia: quid horum vel si laudetur bonum
fit, vel vituperatione corrumpitur? Sma-
ragdus quidem nisi laudetur, de bonita-
te sua aliquid amittit? quid aurum, ebur,
purpura, culter, flosculus, arbuscula? Si
permanent animi, quomodo eos ab æter-
no capit aer: & quomodo terra ab ævo
vsque humatorum corpora recipit? Quē
admodum hīc corpora cum aliquandiu
in terra delituēre, mutantur, dissipataq;
spacium alijs cadaueribus præbent: sic a-
nimæ in aërem subuectæ, cum aliquan-
diu ibi perstiterunt, mutantur, fundun-
turq;, & ad mentem omnium aliarum
genitricem incensæ adiunguntur, eaq;
ratione alijs aduentantibus locum ce-
dunt. Hoc responderi potest, posito a-
nimas esse corporibus superstites. Neq;
verò tantum multitudo sepultorum eo
modo corporum consideranda est, sed et
eorum quæ quotidie comeduntur à no-
bis, & bestijs animalium, & sic quodam-
modo sepeliuntur magno numero, ac ni-
hilominus suppeditat spaciū alijs pro-
pter eorum in sanguinem, aerē, ignem-
que mutationem. Ratio autem veritatis
constat,

constat, si materia & causæ inquirantur. Non est vagandum, sed in omni appetitu iusticię ratio habenda: omniq; in cogitatione, certitudinis. Quicquid tibi, ô Natura rerum, conuenit, id omne mihi conuenit, nihilq; mihi vel immaturum est, vel tardum, quod tibi sit tempestiuũ: omne id fructum puto, quod tuæ ferunt horæ. Ex te sunt, & in vna te, omnia: ac in te vnā omnia redeunt. Quidam dixit, ô chara Cecropis vrbs. ego autem de te cur non dicam, ô chara Dei vrbs? Pauca age, inquit, si tibi tranquillitas animi curę est. Nihil est melius quàm ea quę necesse est agere, & quę ratio animalis ad ciuilem societatem nati, ac quo ea modo deligit. Id enim nō modò rectè agēdo, sed & pauca agendo, animi tranquillitatē parit. Nā ex his quę plurima & agimus & loquimur, si quis ea quę non sunt necessaria tollat, is & maiori otio utetur, & pauciores perturbationes experietur. Itaq; singulis in rebus circūspiciendum, ne quid non necessarium agamus. Ac non modò actiones, sed & cogitationes inutiles sunt vitæ. ita enim fiet, vt ne actiones quidē superuacaneę consequantur. Fac periculum, vt tibi bo-

ni viri

ni viri vita quadret: eius inquam, qui fato sibi destinata æquo fert animo, quiq; contentus est iustis suis actibus, & placido statu. Vidisti illa, hæc quoque intruere. Non perturba te ipsum, sed simplex esto. Si quis peccat, sibi ipsi peccat. Tibi si quid boni obtrigit, ab initio tibi id fato tuo fuit destinatum. Omnino autem brevis quum sit vita, curandum ut præsens tempus lucreris, rectam rationem & iusticiam sequutus: ac in remissionibus animi sobrius sis. Aut compositus est certo ordine mundus, aut confusio quædam rerum temerè mixtarum, mundus tamen. An cum in te ipso possit ordo locum habere, vniuersum nullo ordine constare dicemus? præsertim omnibus in eorebus ita digestis, diffusis, atque inter se affectis. Mores nigri vocantur, mores effeminati, duri, feri, pecorum aut infantium similes, stolidi, fucati, scurriles, cauponarij, tyrannici. Si peregrinus in mundo habetur, qui quæ in mundo sunt, non cognoscit: haud minus peregrinus erit, qui ea quæ sunt non cognoscit: exul, qui civilem rationem fugit: cæcus, qui intelligentiæ oculos clausos habet: pauper, qui alio indiget, neque in se ha-

se habet omnia quæ ad vitam conducunt. Abscessus, siue vlcus mundi est, qui se à communis naturæ ratione seiungit, indignè ferendo ea quæ eueniunt: (ea enim quæ te produxit natura, omnia fert.) frustum à ciuitate amputatum, qui suam animam à communi & vnica omniū ratione præditorum mēte rescindit. Alius sine toga philosophatur, alius absq; libro, alius seminudus, panesq; se non habere, & tamen insistere rectæ rationi dictitans: alius se disciplinis suis non alere, & tamen perseverare profitens. Tu artem quam didicisti, dilige, in eaq; acquiesce. Reliquam vitæ partem ita exige, vt qui ex animo dijs omnia tua cōmiseris, neq; vllius te hominis vel seruum vel tyrannum constituas.

Confidera (verbi gratia) quæ Vespasiani tēpore euenerint: inuenies hominum nuptias contraxisse, liberos aluisse, ægrotasse, diem suum obiisse, belligerasse, festos dies egisse, negociatos fuisse, agriculturam exercuisse, adulatoros fuisse, præfractos se gelsisse, suspicionibus indulsisse, insidias fecisse, quosdam votis mortem vocasse: alios quiriratos de præsentē rerum statu, amasse, thesauros colle-

collegisse, consularus & regna experijisse. Nonne eorum omnium vita iam abolita est? Rursus ad ætatem Traiani descendere inuenies eadem omnia, atq; eius quoq; ætatis homines mortuos esse. eodem modo si etiam reliquas ætates, & gentes totas consideres, videbis quàm multi cum ad summum contendissent, paulo post ceciderint, & in elementa resoluti sunt. Præsertim verò hi memoria recolendi sunt, quos ipse cognouisti uana affectantes, cum agere secundum id ad quod natura erant facti, eiq; inhærere, & eo contenti esse cessarent. Id quoque opus est meminisse, in vnaquauis actione tantum versandum, quantum dignitas eius & modus permittit: ita fiet, ut non diutius quàm par sit rebus exiguis immoratus, nullum fastidium contrahas. Vsitata quondam vocabula, nunc interpretationis loco sunt. ita & eorum qui fuerunt olim celeberrimi, nunc quodammodo sunt glossæ: ut Camillus, Cæso, Volesus, Leonnatus, tum paulo post Scipio, Caro, inde Augustus, Adrianus, Antoninus: omnia enim hæc euanida sunt, & mox in fabulâ abeunt: mox obliuione omnia obruuntur. Atq; hoc dico
de ijs

de ijs, qui ad miraculum vsq; clari erant: reliqui enim simulatq; animam efflarūt, obscuri & ignoti facti sunt. Quamquam quid est omnino, cuius sit memoria sempiterna? Omnia sunt inania. Quid est igitur, in quod sit studio incumbendum? Vnicum hoc, vt cogitationes sint iustæ, actiones societatem humanam respiciāt, ratio te nunquam fallat, itaq; sis animo affectus, vt quæcunq; accidunt, ea tanquam necessaria, nota, ab eodem principio & fonte promanantia, approbes. Vltro te fato submitte, patereq; id te ijs quæ ei visum fuerit reb. destinare: omnia in diem sunt, cū id quod recordatur alicuius, tum id cuius sit mētio. Nunquā non considera, omnia per mutationes fieri: neq; vniuersi naturæ quicquā esse vsitatus, quàm res mutare & innouare. Omnia enim quæ in natura subsistunt, semina quasi sunt eorū quæ ex illis sunt nascitura: est autem nimiū rudis hominis, existimare ea tātū semina esse, quæ in terram aut matricem deiiciuntur.

Iam morieris: neq; adhuc es simplex, perturbationum vacuus, nihil suspicans extrinsecus tibi posse damni afferri, omnibus benignus, prudentiā in eo tantum

ut iustè agas positam censens? Intuere aliorum principem partem, ac quæ nam fugiant, quæ sequantur prudentes.

Tuum quidem malum non est in alterius animo positum, neque in conuersione vlla aut mutatione cœli. Vbi ergo? in opinione de malis tua. Nihil igitur malum esse iudica, & omnia bene habebunt. Quòd si corpus, quod animo tuo est proximum, fecerur, vratur, suppuretur, putrescat: tamen ea pars quæ iudicare de his debet, quieta sit: hoc est, existimet nihil esse neque bonum, neque malum, quod ex equo potest bono atque malo accidere: nam quod ei qui secundum naturam viuit, ex æquo accidit, id neque secundum, neque contra naturam est.

Afsiduè tecum cogita, mundum esse animal quoddam vnum, vnam naturam, vno animo præditum, quomodo omnia ad eius sensum vnicum referantur, omnia ab eo vnico appetitu mouente agantur, ac omnes res omnium rerum causæ aliqua ex parte sint, tum quis earum inter se contextus & ordo.

Animula es, quæ cadauer gestat: ut Epictetus dicebat.

His

His qui in mutatione sunt, nihil est malum: ut neque bonum quicquam his qui è mutatione existunt.

Æuum, fluctus quidam est rapidus earum quæ fiunt rerum: simul enim vanumquodque & apparet & præterit, & aliud subsequitur, mox item aliud succedet. Omne quod nobis accidit, ita consuetum est, & notum, ut rosa vere, fructus æstate. Eadem est ratio morbi, mortis, calumniæ, insidiarum, omniumq; eorum quæ stultis vel gaudium, vel tristitiam afferunt. Quæ subsequuntur subinde, ea præcedentibus ritè succedunt. Non enim numerus tantum certus est eorum, à sola necessitate dependens: sed & consentanea eorum inter se colligatio, ac quemadmodum certo ordine res inter se sunt coaptatæ, ita quæ fiunt, non successionem nudam, sed mirabilem etiam quandam inter se coniunctionem & necessitudinē ostendunt. Dictum Heracliti semper est memoria tenendū: Terræ mortem scilicet esse aquam, aquæ ærem, æris ignē, idq; vicissim. Eius quoque exemplum recolendum, qui nesciebat quorsum iter duceret. Et quod cum ratione, quæ vniuersum administrat,

continenter consuetudinem habentes, tamē ab ea discrepant: itaq; in quæ quotidie incidunt, ea noua ipsis & peregrina videntur. Non tanquam si dormiremus, agendum nobis est, & loquendum: in somnis enim tantum videmur nobis agere, aut dicere. Neque imitandi sunt nobis pueri, qui à parentib. suis* hoc est, nudē, sicut accepimus. Quēadmodum si quis tibi Deorū diceret, moriendum tibi aut cras, aut ad diē tertiū: nō iam magno perē tertiū diē crastino prēferres, nisi animi esses omnino abiectissimi. quantū enim est intervallum? Eodē modo iudicā nō in magno esse ponendū discrimine, post millēne annos, an verò cras decedas. Crebrò reputa, quā multi medici sint mortui, qui sæpenumero ægrotos inspicientes supercilia contraxerint: quot Mathematici, qui alijs exitum ē vita prēdicendo se iactauerint: quot philosophi, qui de morte & immortalitate multa asseruissent: quot re bellica laudati, qui multos occiderant: quot tyranni, qui magna cum insolentia tāquam immortales potestate sua vsi erant: quot vrbes mortuæ (vt ita dicam) sunt, Helice, Pompeij, Herculānum, & alię innumeræ. Col
lige

Lige etiam, quos tu ipse nosti, vnum post aliū, cuius funus ipse curasset, mortuos: & quod heri fuit piscis, cras erit falsamentum, aut cinis. Momētaneum itaq; tempus à natura esse constitutum, considerandum est, æquoq; animo è vita abeundū: perinde ac si oliua maturitatē consecuta si decidat, arborē quæ ipsam tulit ac genuit, collaudet & gratias agat. Similis esse debes promontorij, ad quod assiduò fluctus alliduntur: ipsum autem persistit, vtcunque vndæ æstuant, circum ferantur. Diceret aliquis, infelicem me, cui hoc acciderit: quinimò felicem me, qui hunc casum sine dolore perferam, & nec præsens frangar, nec futura extimescam. Nam vnicuique tale quid potuit accidere: at non cuiusvis erat sine dolore eum casum excipere. Cur igitur illud potius infortunio, quàm hoc felicitati adscribis? aut cur id infelicitatem hominis appellas, in quo nihil mali passa est hominis natura? an verò damnum tibi humanæ naturæ videri potest id, quod non est contra voluntatem naturę eius? Quid ergo? Num casus iste efficere poterit, quo minus sis iustus, magnanimus, temperans, prudens, circum-

spectus, rurus ab errore, verecundus, liber? aut adimere omnino quicquam eorum, quæ hominis naturæ sunt propria? Proinde quoties inciderit quicquam, quod ad dolorem te prouocet: recordare huius præcepti, Nō illud infortunium esse appellandum, sed felicitati tribuendum, quòd id fortiter feras.

Est quidem ignobile, præsens tamen ad contemnendam mortem auxilium, memoria repetere eos qui vitam in longissimum extraxere tempus. Quid enim hi amplius cōsecuti sunt, quàm ij qui immatura morte sunt abrepti? Vtiq; ipsi etiam defuncti iacēt; Cadicianus, Fabius, Iulianus, Lepidus, alijq; eorū similes, qui cū multos extulissent, ipsi deinde elati sunt. Omnino enim exiguū est spacium: idq; per quot labores, inter quos, & quali in corpusculo exigendum? Ne igitur mortem p̄so re difficili accipe. Intuere eius quod retro est æui vastitatem, & eius quod restat immēsam longitudinem: in tāto tempore quid præstat is qui tres ætates, ei qui vixit triduum? Semper breuiorem viā ingredi: breuissima autem est ea, quam natura præscripsit. Itaq; in omni & sermone & actione id sectare, quod

quod est rectissimum. Hoc propositum laboribus, militia, cura rei familiaris, & sollicitudine liberat.

M. ANTONINI IMPE

ratoris de Vita sua Liber V.

MANè cum grauatim à somno surgis, in promptu tibi sit cogitare, te ad humanum opus faciendum surgere. Itaq; ergo (dices) grauatè accedo ad agèda ea quorum causa natus sum, ac propter quæ in hunc veni mundum? scilicet in hoc factus, vt decumbens in lecto me ipsum calefaciam? Atqui hoc iucundius est. Ergone ad voluptatem natus es, non ad agendum? non vides plantulas, passerculos, formicas, araneas, apes, singula hæc suo intenta officio: tu verò ea quæ sunt hominis obire recusas, neque ad id te confers quod naturæ tuæ conuenit? At verò quiete opus est. Sanè: sed & huic modum statuit natura, perinde vt edendi bibèndique. Atqui tu ultra modum & id quod satis est, procedis: in rebus verò agendis intra modum subsistis. Fit hoc eo, quia te ipsum non diligis: alioquin enim & naturam

tuam, eiusque voluntatem diligeres. Et enim alij qui suas arres amant, operibus suis ita incumbunt, ut neque balneorum neque cibi curam habeant. Tu naturam tuam non tanti facis, quanti aut tornator, aut histrio suam artem, quanti avarus argentum, & inanis gloriæ cupidus gloriolam. Hi enim quarum rerum studio tenentur, dum eas augere possint, cibum & somnum postponunt. At tibi actiones ad societatem spectantes humanam, viliores videntur, minoriq; opera dignæ? Quàm facile est omnem cogitationem quæ animo aut perturbationem afferat, aut non cõueniat, reijcere, & delere, statimque esse in summa animi tranquillitate?

Omnem sermonem & actionem quæ sit secundum naturam, dignam te iudica: neque te auerrat ab ijs reprehensio aut sermones aliorum ea consequentes. Sed si quid facto dictumve pulchrum est, id te ne indignum putes. Alij enim aliam rationem, alios appetitus sequuntur: ad quos tibi non est respiciendum, sed recta via eò pergendum, quò & tua, & communis omnium ducit natura: utriusque autem vna eademque est via. Per ea quæ

quæ sunt secundum naturâ progredior, donec morte finiam : expirans quidem eam, quam in Spiro quotidie, animâ : cadens verò in terram, ex qua & semē meū pater, & sanguinem mater, & lac nutrix collegit : quæ me terra tot iam annos quotidie alit cibo ac potu, quæ me calcantē fert, ac tot modis ipsa abutentē.

Austeritatem tuam vt admirentur nō est. Sit sanè : at multa alia, ad quæ te non esse naturâ aptum, dicere non potes. Ea igitur profer, quæ tota sunt in te : integritatem, grauitatem, laborum tolerātiā, voluptatum abstinentiam, animum sua forte contentum, pauca desiderantem, placidum, liberum, à curiositate & nugis alienum, altitudine præditum. Non sentis, quā multa possis præstare, de quibus nulla est excusatio naturæ ad ea non apte? & tamen adhuc sponte tua inferius manes. Quid? an te natura parum bene instructa cogit indignari, cunctari, adulari, corpusculum tuum incusare, tuam sortem improbare, leuem esse, animoq;

vagari? non me hercle : sed his omnibus iampridem vt liberareris malis, in tua fuit potestate. Hoc tantū erat vitij, quod tardioris ingenij, ac qui non facile asse-

queretur ea quæ traderentur, existimare poteras. Sed & hoc exercitatione erat corrigendum, ne subinde cogitares de tua tarditate, ne ea delectareris.

Eorum qui bene alijs faciunt, tria sunt genera. Primum eorum, qui statim exhibito beneficio, statim etiã quam sint meriti gratiam reputant. Alterum eorum, qui id quidem non faciunt: tamen conscij quid fecerint, debitorem se iam habere cogitant. Tertij quodammodò ne hoc ipsum quidẽ quod fecere norũ: vitĩ similes, quæ vñ cũ protulit, vt semel suũ dedit fructum, nihil præterea quærit.

Equus si cucurrit, canis si venarus est, apis si mel fecit, satis est. Homo autẽ si bene fecit, nõ reuocatur: sed ad aliud negocium transit, quemadmodum vitis, vt rursus suo tempore vnam producat. In his ne igitur esse debent, quæ aliquo modo sic vt non possint intelligi, id faciunt? equidem. sed hoc ipsum debes efficere vt intelligas. Propriũ enim est (inquit) animalis lege sociari, vt sentiat se & societatis causa egisse, & vt velit omnino id eũ qui societatis est eiusdem, sentire. Verũ est quod dicis: quod autem nunc dicitur, excipe. Propterea ex eorum numero
eris,

eris, quorū antè feci mētionem. Hi enim verisimilitudine quadam probabili abducuntur. Quòd si intelligere vis quidnā sit id quod diximus, ne timeas, ne ob id actio aliqua societati hominum inferuiens tibi sit omittenda. Atheniensium erat hoc votum: Plue, pluuiam, ò care Iupiter, in agros & cāpos Athenienses demitte. Enimuerò aut nihil est optandū, aut omnino simpliciter, & liberaliter.

Quod dicimus Æsculapium huic equitationē, illi lotionē in frigida, alteri vt nudis pedibus ambulet, iniūxisse: nihil aliud est, cū dicimus, natura vniuersi huic homini morbum, defectū aut amissionē membri alicuius imposuit. Nam vt illic, cum dicimus iniūxisse, intelligitur Æsculapium vnā rem ad alterā ordinasse, verbi gratia, eam rem respectū habere ad sanitatē: ita hic, id qđ vnicuiq; accidet, rationē habet & respectū ad fatū. ita enim hæc nobis accidere & cōgruere dicimus, vt opifices quadratos lapides in muris aut pyramidibus extruendis congruere asserunt, quippe certa eos colloca-tione inter se componentes. Omnino enim vna quēdā est harmonia: atq; vt vniuersi huius corpus ex omnib. corporib. est

est compactū, ita ex omnibus causis Factum suprema causa constat. Id quod dico, etiam rudissimi intelligūt homines: dicūt enim, Hoc fors eius tulit, hoc ei erat impositū. Accipiamus ergo hæc ita, vt illa quæ Aesculapius imposuit: nā & in illis multa sunt aspera, quæ tamen spe sanitatis ferimus. Tibi ergo, eorum quæ communis natura tibi iniunxerit perfectio, similis sanitati iudicetur: atque ita æquo suscipe animo omnia quæ fiunt, etiam si quid durius videatur: quoniam ad id ducunt, quod ratione mundi est sanitas, nempe ad felicitatem. Nihil enim accidisset tibi, nisi in rem vniuersi ita esset: neque enim vna quæuis natura quicquam fert: sed id modò, quod respectum ad id quod ab ea administratur, habeat.

4 Quare duæ sunt rationes, cur ea quæ tibi eueniunt, æquo debeas animo ferre. Vna, quia fors tua sic ferebat, & tibi destinata erant ab antiquissima causa fatali, habētia ad te certum respectum. Altera, quòd ea faciunt ad profectum, & perfectionem, ac permanentiam eius quod vniuerso præest. Totum enim mutilatur, si etiam minimam partem continuitatis & cohærentiæ, vt membrorum, ita

Ita etiam causarum discindas. Id autem quantum in te est facis, quoties ea quæ tibi obtigerūt, molestè fers, ac quodammodo tollis.

Abominari, animum despondere, ac deterreri non debes, si non vbique tibi successus respódet, secundum recta præcepta agere singula cupienti: sed frustratus conatu, eum redintegrare, & æquo animo pleraq; humana ferre: neq; debet te eius, ad quod redis, pœnitere. Neq; tibi est ad philosophiam, tanquam ad pædagogum, redeundum. Sed vt solent qui ex oculis laborant, ad spongiam & ouū, alij ad cataplasma & perfusionem confugere. Ita enim non opus erit tibi ostendi, vt rectæ rationi obedias: sed in ea ipse acquiesces.

Memento philosophiam ea tantum poscere, quæ natura etiam tua exigit: tu autem aliud quippiam volebas. Vtrum verò horum blandius est? an' non hoc pacto decipit voluptas? Vide gratioꝛne sit magnanimitas, libertas, simplicitas, æquanimitas, sanctitas? Quid enim ipsa prudentia sit acceptius, vbi cū animo tuo reputes, facultatem quæ scientiam certam, & certis consequentijs nixam
haber

habet, nusquam labi, & vbiq; successum habere?

Res quidem ipsæ in tāta quodammodo versantur obſcuritate, vt philosophorū plerisq; & ijs non ignobilibus, omnino percipi posse nihil visum sit: Stoici tamen posse percipi, sed planè difficulter, censuerunt. Estq; omnis nostra assensio talis, vt falli & mutari possit. quis enim se non posse errare dixerit? Trāſſer itaq; cogitationes ad ipsas res subiectas, ac vide quàm breues vilesq; sint, quæ etiam à cinædo, ſcorto, aut prædone possint teneri. Inde tranſi ad mores eorum, quibus cum vita degis, inter quos vix est etiam gratiosissimum perferre: ne dicam, quòd vix seipsum quis perpeti possit. Tanta igitur in caligine, ſordibus, tantoq; rerū, tēporis, motuumq; & rerum quæ mouētur fluxu, nō video quid sit esse in honore eximio, aut omnino seria opera dignum. Contrā præstat seipsum confirmare, ac mortem æquo animo expectare, neq; moram indignè ferre, sed in his modò acquiescere duobus: vno, quòd nihil mihi accidet, quod nō sit secundū naturam vniuersi: alterum, quòd licet mihi nihil agere quod cōtra Deum geniumq; sit

fit meum. nemo enim ad hoc me compellere potest. Subinde hoc teipsum interroga: Quam ad rem nunc vtor animo meo? atq; examina teipsum: Ea pars, quā principem vocant, quomodo nūc habet? cuius animo præditus sum? num pueri, num adolescētis, num mulierculæ, num tyranni, num iumentis, num feræ?

Qualia sint illa quæ vulgò bona habentur, etiam hinc evidens fiat. Si enim animo concipias ea quæ sunt reipsa bona, vt prudentia, vt temperantia, vt iusticia, vt fortitudo: his iam antè reputatis, nihil porrò audies nominari bonum, quod non sub hæc referatur. Quæ verò vulgus hominum bona putat, ea qui antè mente conceperunt, simulatq; nominari audiunt, perfacilè accipiunt: perinde vt appositè dictum, sicut Comicus ait. Hæc est ferè vulgi de differentia bonorum opinatio. alioquin enim haud eò peruentum esset, vt vera bona auersarentur: diuitiarum autè, voluptatis aut gloriæ mentionem ita admitterent, vt scitè atq; vrbane dicta. Progredere ergo, ac interroga, Sit ne in honore habēda & in bonis ducenda hæc: quæ si animo tuo imaginatus fueris, aptè quis dicere possit,
cum

eum qui ista possideat, propter hanc copiam ne ubi quidem cacet habere.

- 7 Ex forma & materia consto: horum verò neutrum in nihil vertetur, ut neque ex nihilo extitit. Ergo omnis mei pars per mutationem redigetur in aliquam mundi partem, atq; hæc rursus in aliam uniuersi portionem transibit, idq; ad infinitum usq;. Huiusmodi autem mutatione & ipse extiti, & parentes mei, idq; in infinitum usque retrò eunti licet dicere: quâquam certis alioquin circuitibus mundus administratur.

- 8 Ratio, & rationalis ars, facultates sunt sibi ipsæ sufficîentes, suisq; operibus. Progrediuntur à suo principio, ac pergunt ad finem propositum: habent actiones earum à via cui insistent illæ nomē apud Græcos, ut sint *ναίεσθαι*: nos rectas effectiones dicere possumus. Horum nihil de homine dici potest, quod non ei conuenit, ea ratione qua homo est: Non hæc homo, neq; ipsius natura proficitur: non est ea in humana natura perfectio. Proinde in externis rebus nequaquam erit finis homini constitutus, neq; id bonum quod finem illum absoluit: alioquin hominis partes non fuissent, ut eas despicere:

ceret: neq; laude dignus, qui se ita parat, ut illis non indigeat: neq; qui illis rebus abstinet, bonus dici meretur, siquidem eæ bona essent. Nunc verò tanto quisque melior est, quanto magis seipsum ab illis rebus abstinet.

Talis erit intellectus tuus, qualia sunt ea de quibus subinde cogitas: nam à viis seu cogitationibus illis animus imbuatur. In fine igitur eum ad fiduitate huiusmodi cogitationum, quales sunt: ubique vivere, ibi etiam bene vivere licet: vivere autem licet in aula, ergo etiam bene vivere licet in aula. Item, Alicuius rei causa singula sunt facta. cuius verò gratia vnumquodq; factum est, ad id fertur: ad quod autem fertur, in eo finis eius est positus: ubi verò finis, ibi etiam bonum vnicuique. Ergo finis animati ratione praedito propositus est, societas. natos enim nos esse ad eam, iam pridem est demonstratum.

An verò non euidens est, deteriora praestantium, rursusque ex his vnum alterius causa esse? Praestant verò inanimis animata: atque inter hæc ipsa, ea quæ rationem habent.

Insani est, sectari impossibilia. At fieri non potest, quin mali suo more agant.

P Nihil

Nihil cuiquam accidit, nisi ita natura destinarit. Id quod alius iniquè fert, alteri accidit: qui siue ignoratione eius casus, siue ut magnanimitatē ostendat, cōstantiam tueretur, atq; illēsus manet. Iniquum est igitur admittere, ut inscitia & opinio prudentiā superēt. Etenim res ipsæ animū nequaquā attingūt, non intrāt ad eū: neq; mouere, neq; vertere possunt. Solus ipse se ipsum ciet: ac quale iudiciū tulerit talia ea quæ accidere, fiunt.

Alia ratione summa nobis est necessitudo cū homine cōstituta, qua ei benefacere, eūq; ferre iubemur: cū autē impedire conātur nostras actiones, nō magis ad nos attinēt quā sol, ventus, bestię. Atq; hi quidē impedire effectū aliquādo possint: animi verò appetitiōē & affectum nequeunt, quia hęc exceptionē habent, & conuersionē. Nam omne id quod impedimento fuit effectiōi, id animus ad ea quæ præcesserūt cōuertit: atq; eo modo id, quod instituto operi, viæque inite obstitit, ei iam confert aliquid.

Id quod in mundo est præstantissimum, cole. Est autem id, quod omnibus rebus utitur, omnia gubernat. Similiter id quoq; honora, quod in te est primū: nimirum

mirum illi alteri cognatum, quòd & cæteris quæ in te sunt omnibus vtitur, & tuam vitam regit.

Quod ciuitati nullum affert detrimentum, id ne ciui quidem nocet. Hæc regula recolenda tibi est, quotiescunq; te læsum aliquâ esse cogitas. Sin ciuitas damno affecta est, ei qui intulit, succensere non debes. Quid neglectum est? Sæpe numero considera, quàm celeriter omnia quæ & sunt & fiunt, abripiantur & euanescant. Etenim & ipsæ naturæ amnis instar in adsiduo sunt fluxu, & effectiones cōtinentibus mutationibus obnoxia, & causarum infinitæ sunt vices: denique nihil ferè perstat, aut sui simile durat. Iam & præteriti & venturi æui infinita est, in qua omnia abolentur, vafritas. Quî ergo stultitiæ non damnetur, qui in hoc tam exiguo temporis articulo superbit, appetit, aut molestia se affectum quiritatur? Vniuersæ rerum naturæ recordare, cuius minimam partem tenes: totius æui, cuius breue & momentaneum tibi est attributum spacium: fati cuius perexigua ad te portio pertinet.

Peccat alius quis aduersum me, videtur: suâ habet affectionē, suum actû. Ego

in præsentia id habeo, quod me habere vult cõmunis natura: agoq; id, quod agere me iubet mea natura. Pars animi tui princeps ne inuertatur villo vel leui vel aspero carnis motu, neq; admittat persuasiones quæ in membris oriuntur, sed circumscribat eas. Quòd si eæ ratione alterius consensus ad intelligentiam efferuntur, nimirum quatenus ea cum corpore copulata est, tum quidem sensui, cum is à natura proficiscatur, reluctantum nõ est: opinioni autem mali aut boni adsentire mens non debet.

Viuendum est cum dijs. Vitam verò cum dijs agit, qui continenter ijs suum animum ostendit, probantẽ ea quæ ipsi farum tribuit, agentemq; ea quæ genio placent: quẽ Iupiter suæ quandam particulã naturæ vnicuiq; præsidẽ ducemq; dedit: nimirũ mentem atq; rationem.

10 Ne irascaris ei qui hircũ olet, aut cui anima foetet: nihil enim ad te inde mali redibit. Alæ ipsius & os ita sunt affecta, vt necesse sit hunc odorem inde proficisci.

Ratione, inquis, præditus est homo: ac si scrutari velit, intelligere potest qua in re delinquat. Bene res habet. Proinde
tu,

tu, qui & ipse præditus es ratione, mentem eius tuæ mentis motu excita, doce, commonefac: si enim obtemperat tibi, sanabis eum, neque ira opus erit.

Neq; tragædus, neq; icortum. Iam egressurus, viuere cogitas. ita hîc viuere licet. Quòd si tibi non cõceditur, tunc vita excede, ita quidem, vt qui nihil mali pariat, ac fumi instar abeat. Quid hoc rei esse putas? Dum verò nihil me tale abducit, liber permaneo: neque mo quisquam prohibet agere, vt volo: volo autem, vt naturæ animantis ratione præditi, & ad cœtum nati, conuenit.

Mens quæ mundum gubernat, societatis rationem habuit: itaque & inferiora præstantiorum causa effecit, & præstantiorum vnum alteri subdidit. Viden', vt subiecerit, coniunxerit, ac vnicuique secundum dignitatem suã tribuerit: eaq; quæ sunt præstantissima, mutuo consensu deuinxerit?

Quomodo vsus es hætenus dijs, parentibus, fratribus, vxore, liberis, doctõribus, alumniis, amicis, familiaribus, famulis? an in hunc vsque diem in neminem horum re verbõue fuisti iniurius?

Reminiscere etiam quæ superaueris,

ac toleraueris: tum fabulam vitæ tibi iam peractam, teque tuo ministerio defunctum esse. Quàm multa vidisti pulcra? quot voluptates, quot dolores despexisti? quot peruersis hominib. equum re præbuiſti?

Quamobrem animi artis & disciplinæ vacui, arte & scientia præditum confundunt? Quem verò animum arte & scientia præditum vocas? eum qui principium & finem cognoscit, & mentem, quæ per vniuersam rerum naturam penetrat, ac per omnes seculorum cursus definitos atque statos mundum gubernat.

Iam iam cinis erit, & ossa nuda, nihil præter nomen (siquidem id supererit) tui restabit. Nomen autem nihil est quàm sonitus. At ea quæ magni in vita precij habentur, vana sunt, putrida, exigua, atq; instar catellorû mordicantium, aut puerorum inquietorum, qui modo rident, mox plorant. Cæterum fides, pudor, iusticia, & veritas,

12

Climatibus terræ coelum petiere relictis.

Quid ergo restat, quòd te hîc detineat? sensilia ne tã fluxa, totq; mutationibus exposita? an sensus obscuri, & qui facile deci-

decipiantur? animula ipsa, quæ est exhalatio à sanguine? gloria inter huiusmodi homines, inanis illa? Quid ergo aliud operiris, nisi vel extinctione, vel translationem, idq; æquo animo? Quid interim dum eam occasio adducit, tibi sufficiet? Quid aliud quàm deos venerari & collaudare, hominibus benefacere, eosq; & ferre, & ijs abstinere: quæ extra tuæ caruncule & animulæ sunt posita fines, ea meminisse neq; possessionis, neq; potestatis tuæ esse? Semper potes vti secundis successibus, si recte viæ insistere vis: duoq; hæc observare, quæ diuinæ menti cōmunia sunt cum hominis, omnisq; ratione præditi animalis animo: vnū non posse te ab alio impediri: alterum, in iusta voluntate & actione bonum esse collatum, cumq; ad finem esse appetitiones dirigendas.

Si hoc neq; mea sit malicia, neq; actio est à mea proficiscēs malicia, neq; cōmunitati dāno est: quid sollicitus de eo sum? quod verò dānū est cōmunis societatis?

Non debemus nos cogitationibus omnino abripiendos præbere: sed opitulari quantum eius fieri potest, & dignum est, etiam si in medio sit defectus: neque id pro damno ducere. ea enim consuetudo

mala est. Sed quemadmodum senex discédēs rhombum alumni poscebat, memor rhombum esse : ita etiam hic, quoniam bonū aliquid fiat in rostris. Heus homo, oblitus es quid hæc sint? sanè: Sed ea in quibus hi studium ponant. Propterea tu quoque stultus es factus? Aliquando utcunque relictus, factus sum felix. Felicitas aut est, ut bonam tibi ipsi sortem vendices : id est, boni motus animi, bonæ appetitiones, bonæ actiones.

M. AN-

M. ANTONINI IMPE.

ratoris de vita sua, Liber VI.

Natura vniuersi suo gubernatori obediens est, ac bene composita: quæ verò eam gubernat mens, nullam in seipsa habet malè agendi causam: quippe nihil ei inest vitij, neq; peccat, neque ab ea quicquam læditur: omnia verò secundum eam fiunt atq; perficiuntur.

Nullò pone in discrimine, algensne an calens, dormituriens an somni satur, malè an bene audiens, moriens an aliud quid agens id facias, quod te decet: quādo mors etiam vna est earum actionum, quæ ad vitam referuntur. Sufficit igitur, ea etiam imminente, id quod instat, bene collocare.

Intrò respice. Nullius rei neque propria qualitas, neque id quod ei debetur, te fallat.

Omnia quæ subiecta sunt, celerrimè mutantur, & aut in halitum resoluuntur, siquidem sit compacta eorum substantia, aut dissipantur.

Mens vniuersi gubernatrix scit quomodo se habeat, quid agat, & quam habeat materiam subiectam.

Vlciscendi ratio optima est, ne similia
 suas eius qui iniuriam fecit.

Vno hoc te oblecta, inq; vno hoc ac-
 quiesce, vt ab vna societatis humanæ tuæ
 dæ causa suscepta actione, ad aliam trā-
 seas, Dei memor.

Princeps hominis pars est ea, quæ se-
 ipsam excitat atq; ciet: seq; talem, qualē
 vult efficit: præstatq; vt ea quæ eueniūt,
 talia, qualia ipsa vult, sibi videantur.

Omnia secundum naturam vniuersi
 sunt: neque enim possunt fieri secun-
 dum aliam aliquam, siue extrinsecus
 circundantem, siue inclusam, siue foris
 suspensam.

Vniuersum aut confusio quædam est,
 & contextus fortuitus rerum iterum à
 se diuellendarum & dissipandarum: aut
 vnitione, ordine & prudentia constat.
 Si prius illud verum est, quid est cur cu-
 piam inani huic colluiei & mixturæ im-
 morari? quid aliud expetendum, quàm
 vt in terram vtcunq;, redigar? quid per-
 turbor? quicquid egero, tanten dissipa-
 tio me corripiet. Sin altero modo res ha-
 bet, veneror eum, animoq; cōstanti sum,
 & gubernanti mundum confido.

Cum te rerum præsentium status nō-
 nihil

nihil perturbat, celeriter ad te redi: neq;
ultrà quàm necesse est, à modo eius quā
instituísti cantilenæ discede. Nam eo fa-
cilis harmoniam tueberis, si continen-
ter ad eam reuertaris.

Si tibi simul & nouerca & mater esset,
illam quidem coleres, & tamen crebrò
ad matrem te reciperes. Eadem est tibi
ratio aulæ & philosophiæ. Quare ad
hâc sæpenumerò reuertere, & in hac ac-
quiesce, quæ efficit, vt & res aulicæ tibi
tolerabiles videantur, & tu dum in ijs
versaris, ferri queas. Tale est, cùm sic
cogitamus de cibis & id genus rebus
hoc esse piscis cadauer, illud auis, aut
porci: item, Falernum, succum esse
exiguum vuluæ: purpuram capillos ef-
se ouiculæ, modico testudinis sangui-
ne imbutos: tum coitum, intestini par-
ui affriktionem, muciq; excretionem,
non sine conuulsione. Cogitationes
hæ præclaræ sunt: nam rem ipsam at-
tingunt, ac pertranseunt, vt qualis ea
sit, cerni possit. His per omnem vitam
utendum est: ac sicubi res quammaximè
videtur comprobata digna, tegumen-
tis est nudanda, vt & eius in conspe-
ctum veniat vilitas: & id quo se ostenta-
bat, ei

bat, ei adimatur. Etenim fucus, impostor est callidissimus: ac tum maximè in fraudem inducit, cum quis maximè se res ferias & dignas tractare putat. Vide igitur, quid de hoc Crates, quid Xenocrates dicat. Pleraq; eorum, quæ vulgus admiratur, si sub habitu aut natura continentur, ad latissimè patentia genera reuocantur: ut lapides, ut ligna, ficus, vites, oleæ. Quæ sub arctioribus aliquanto, ad animata: ut greges, armenta. Si qua paulò plus haberent gratiæ, hæc ad ea reducuntur quæ comprehenduntur sub anima ratione prædita, non quidem vniuersali, sed quatenus artes tractat, aut alias facultates: aut ipsa per se æstimantur: ut, quidnam esset, possidere multa mancipia. Qui verò animum ratione præditum cum omnibus suis facultatibus, ciuilibq; cœtus studio veneratur, reliquarum is rerum nullam curat: sed omnibus postpositis, suum animum ita affectum, atque ita se mouentem ut rationi & ciuili societati congruit, cōseruat: cognatoq; genio in hac re inseruit. Quædam iam fiunt, quædam mox existent: quin & eius quod fit, pars iam nunc aliqua evanuit. Fluxus & alterationes continenter mundum renouant: quemad-

quemadmodum infinitum æuum temporis ad fiduo lapſu nouum ſubinde redditur. In hoc itaque flumine quĩſnam ea quæ præterferuntur, ac quibus inſiſtere non poſſit, honore aliquo dignetur? is quidem perinde agat, ac ſi quis vnum de præteruolātibus paſſerculis diligere incipiat, atque is iam e conſpectu eius abierit. Ita ſe & vita vniuſcuiuſque hominis habet, vt halitus à ſanguine ſublatus, & aër inſpiratus. Quale enim eſt quod ſemel animam attrahimus, & eſſamus, id quod identidem facimus: tale etiam eſt, quòd omnẽ respirandi facultatem, quã heri aut nũdiuſtertiũ nati accepimus, eò reddimus vnde accepimus. Quòd vegetamur more ſtirpium, respiramus more pecudum & ferarum, quòd viſis afficimur, quòd appetitionis cauſa mouemur, quòd cõgregamur, quòd nutrimur: omnia hæc non maiori ſunt in precio ponenda, quàm quòd excernimus cibi recrementa. Quid igitur honore dignum eſt? num plauſus? nequaquam. Ergo ne laus quidem populi, quæ nihil eſt aliud quàm plauſus linguarum. Sublata igitur etiam gloriola, quid reſtat quod ſuſpiciamus & veneremur? Equidem hoc cẽſeo,

vt

ut quemadmodum facti instructiq; à natura sumus, ita moueamur. Eò nos etiam diligentia opificum, & artes ducunt. Omnis enim ars huc collimat, ut id quod paratum est, aptum sit & idoneum ad opus, cuius operis causa paratum est. Idem querit vinitor, idem qui pullos equorum domat, idem qui canes educat. Ergo & institutio primæ ætatis & doctrina eò contendunt: isq; finis est, quem experere debeas. Hunc consecutus, nihil est in alijs reb. quod sis tibi quæsiturus. Quod si pergas alia etiã experere, neq; liber eris, neque tibi sufficies ipse, neq; eris affectuũ vacuus: necessariò enim inuidebis, emulaberis, sinistra suspicaberis de his qui illa tibi adimere possunt, insidiaberis ijs qui id quod magni sit à te possidēt. Omnino enim necesse est eũ esse animo perturbato, q̃ ista desiderat: sæpe etiã deos incusare. Qui verò mētē suã reueretur atq; colit, is & sibi ipsi probabitur, & cum cœtu hominum bene ei conueniet: eũque dijs consentiet, id est, laudabit quæcunque ij distribuunt & ordinauerunt. Infrà, super, atque circum te motus sunt elementorum. Motus verò virtutis in eorum nullo est: sed diuiniore quadã, & ad intelli-

intelligendū difficili via procedit. Vide quid agant homines. Eos qui eodem cū ipsis viuunt tempore, laudare nolūt: ipsi verò à posteritate laudari, magnum existimant: nimirū ab ijs quos neq; viderūt, neq; videbunt vnquā. Id verò haud multo aliud est, quàm si doleret ipsis non à prioris etiā ætatis hominib. se laudatos esse. Nō, si quid assequi industria tua nequis, id à nullo posse apprehēdi homine existima: sed quicquid homo potest, quicquid ei cōuenit, id & tibi cōcedi iudica. In palēstra si quis vnguibus aduersarium laniauit, aut capite incusso ferijt, non indignamur, neque offendimur, neque insidiarum suspectum habemus: cauemus quidem nobis ab eo, non vt ab hoste, neque sinistrum quid de eo suspicamur, tārū placidè eum declinamus. Id fieri debet etiā in reliquis vitæ partibus, vt idem de alijs sentiamus, quod de ijs cum quibus colluctamur: possumus enim (vt dixi) citra suspicionem & odium ab ijs cauere, & eos vitare. Si quis me redarguere potest, & demonstrare, quòd non rectè sentiam, aut agam, læto animo sententiam mutabo: veritatem enim quæro, quæ nemini vnquā damno fuit: dam-

damnum autem facit, qui in errore & ignoratione sua permanet. Ego, quod est mei officij, ago: cætera me non auellunt. Aut enim anima aut ratione carent, aut viæ ignara errât. Animantia rationis expertia, tum omnes eiusmodi res & subiecta, magno & liberali animo sunt usurpanda tibi: nempe ratione prædito. Hominibus verò, ut ipsis quoq; mente instructis, ratione societatis habita utere. In omni verò negotio deos comprecare: neque sollicitus esto, quantum temporis spacium tibi ad agendum derur: sufficiunt enim vel tres huiusmodi horæ. Alexander Macedo, agasoque eius, mortui in idem sunt redacti. aut enim assumpti sunt ad mentem mundi eam, quæ sati sunt reliquorum animi: aut dissipati sunt in atomos, vnus perinde atque alter. Cum animo tuo considera, quàm multa vnico temporis momento fiant in vniuscuiusque nostrum cum animo, tum corpore: ita fiet ut non mireris, quòd longè plura, imò verò omnia quæ in mundo hoc fiunt, simul extent. Si quis à te quærat, quomodo sit nomen Antonini scribendum: nonne singulatim omnes litteras proferres? Quid ergo si qui irascuntur, num vicissim

tu quoque stomachaberis? nō potius numerum inibis placidè singularum rerū? Itaq; etiam hīc memento, suis omne officium quibuscūq; constare numeris: quos si imperturbatos seruaueris, neq; indignantibus alijs ipse quoq; indigneris recta via id quod prōposuisti, perficies.

4

Inhumanum esse videtur, hominem impedire, ne ad ea feratur quæ ei vtilia & cognata videntur. Atqui id tu ne faciant prohibes quodammodò, dum iniquo animo fers eos delinquere. Ferūtur enim vtrique ad id, quod naturæ suæ coniunctū & vtile putant. Sed res non ita habet. Id itaq; ostende eis, & doce citra indignationem. Mors finem imponit sensuum, motus, & cogitationum officijs, animūq; à corporis ministerio liberat.

Turpe autem est in hac vita, in qua corpus tuum labori non succumbit, animū tuum elanguescere. Vide ne à præsenti statu deiectus obruaris. Potest enim hoc fieri. Itaq; conserua te ipsum simplicem, bonum, integrum, grauem, apertum, iusticiæ studiosum, pium erga deos, benignum, humanum, ad officium tuendum fortem: annitere vt talis perman eas, qualem te facere voluit philosophia: venera

5

q re

re deos, salutem hominibus affer. Breue est vitę in terra degendę tempus: omnisque eius fructus, sancta animi constitutio, & actiones communitati hominum vtilis. Omnia, vt decet Antonini discipulum, age. Quę fuerit eius in agendo secundum rationem firmitas, quę vbiq; æqualitas, quę sanctitas, memento: quę vultus serenitas, ac comitas.

Quantus ille glorię contemptor, quod eius in percipiendis rebus studium: cum nihil prætermitteret, nisi prius accuratę perspexisset, ac cognouisset. Vt rulerit iniuste ipsum repræhendentes, neque conuicium his reposuerit: vt nihil propter aut cupidę aggressus sit: vt calūnias non admiserit: vt diligens fuerit morum actionumque examinador: non obrectador, non meticulosus, non suspiciosus, non sophista. Quam paucis fuerit contentus: vt domo, lecto, veste, cibo, famulatu. quā tolerās laborum, quā leni animo: vt tempus vsque ad vespēram propter victus tenuitatem egerit, ita vt ne excernere nisi consueta hora opus ei esset. Quę eius in amicitia fuerit constantia, & æquabilitas: quomodo rulerit eos qui ipsius sententiā liberē impu-

gnarent: gauisusq; fuerit, si quis melius aliquid ostenderet. Qua ille deos religione coluerit, citra superstitionem, recordare: ut tibi quoque vltima hora, perinde, atque is fuit, rectè tibi cōscio adueniat. Expergiscere, & te ipsum reuoca, somnoq; discusso cogitans quæ te in omnia perturbarint, vigilans ea intuere, ut illa inspexisti. Ex corpusculo & anima consto. Corpusculo nihil interest inter res: neque enim potest discrimen statuere. Rationi autem inter ea discrimen nullum habetur, quæ nō sunt ipsius actiones: has verò omnes in sua habet potestate. Quod ipsum tantum est de præsens accipiendum, præteritæ enim & futuræ animi actiones, ipsæ quoque nullum habent iam discrimen. Manui ac pedi, dum suum agunt officium, nullus est præter naturam labor: ita homini quoque ea agenti quæ ipsius sunt partium, nullus est præter naturā labor: ergo ne malum quidem. Quot voluntatibus, ac quantis frui contigit latronibus, cinædis, parricidis, tyrannis? Nōne vides, ut qui sordidas profitentur artes, usq; ad certum finem se priuatis hominibus accommodent? nihilo-

minus tamen suę artis rationem retinēt, neq; ab ea decedere volunt. Nónne autē turpe sit, si architectus & medicus magis suę artis rationē reuereatur: quàm suam homo, quę quidem ei est cum Deo communis? Asia & Europa, anguli sunt mundi: vniuersum mare, gutta mundi: Athos, glebula mundi: omne instans tempus, punctum est æternitatis. Omnia sunt parua, mobilia, interitui obiecta: omnia inde veniunt, profecta à principe vniuersi, aut per consequentiam. Etenim rictus leonis, lethalia venena, omniaque maleficia (vt spina, cœnum) pulcrarum & bonarum rerum sunt additamenta. Non igitur ea aliena ab eo quod colis imaginare, sed fontem omnium rerum considera. Qui præsentia cernit, omnia vidit quæ ab æterno fuerunt, & in infinitum vsq; erunt. Omnia enim sunt eiusdē generis, & conformia. Sæpenumero cogita de omnium in hoc vniuerso rerum connexu, mutuaq; affectione. Quodam enim modo omnia inuicem sunt implicata, eaq; ratione amica mutuò. Aliud enim ex alio consequitur, propter constantem morum, ac conspirationem & vnitionem (vt ita dicam) substantię. Qui
bus

bus negocijs addictus es sorte tua, his te accommoda: & quibus te hominibus factum adiūxit, eos amore, idq; vero, prosequere. Organa, instrumenta, vasa, quū id agunt cuius gratia sunt adornata, bene habēt: & quidem is qui ea parauit, abest ab ipsis. At in his quæ natura continentur, remanet, intusq; est vis ea paratrix. itaq; tanto magis honoranda est: & estimandū, si secundum eius voluntatem agere perseueres, omnia tibi secundū mē te esse: idēq; de alijs hominib. omnib. intellige. Quodcunq; ex ijs reb. quæ extra te, neq; in tua voluntate sunt positæ, tibi proposueris, boni vel mali nomine, id si vel ut malū tibi cōtingat, vel si, cū pro bono ducas, adipisci non possis, efficiet ut & deos incuses, & odio habeas homines qui in causa sunt, aut eo certè nomine suspecti habētur, q, vel malum hoc habeas, vel bono careas. Propter hāc rerū differentia, quā ipsi statuimus, fit, ut multa peccemus. Quod si sola ea quæ in nobis sunt posita, bona & mala tractaremus, nihil causę restaret cur aut Deū incusaremus, aut cum hominib. inimicicias suscipere-mus. Omnes ad eundem finem & effectum agimus: pars scientes, & certo ordine:

dine : pars inscij. Quemadmodum & dormientes Heracletus (ni fallor) dixit esse operarios , qui adiuuent suâ operâ hæc quæ in mundo sunt. Alius autem alia ratione id opus adiuuat. superuacanea opera est eius qui reprehendit, & re-niti conatur ijs quæ fiunt, eaq; rescinde-re: nam & hoc vtitur mûdus. Proinde a-nimum aduerte, in quorû tu te numero reputes. Nam administrator huius vni-uerſi, utiq; te vtetur rectè, & accipiet te inter cooperarios. Tu verò ne sis huius- modi eorum pars, qualis est in fabula vi-lis ille & ridiculus versus, cuius mentio-nem Chrysippus facit: Sólne pluuię mu-nia obire cupit, aut Æsculapius terræ fru-gem ferentis? Quid verò sidera, an' nò di-uerſa quidem singul' st actio, quæ ta-men ad commune opus cōferat? Quod si de me & his quæ mihi euenire debue-runt, dii consultauerunt, rectè nimirum mihi consuluerunt. Nam Deum sine cōſi-lio agentē ne cogitare quidem facile est: quæ aut fuisset causa, propter quam ma-lè mihi consultum voluisset? quid inde ad deos, & ad vniuersum (cuius maximè habet rationem) fructus rediisset? Sin de me priuato nihil consultauerunt, at de vniuerso

vniuerso vtrique rationes duxerunt: ex quo cum ea consequuntur quæ mihi eueniunt, non debet me eorum poenitere. Sanè de nulla re eos consilium inire, impium est credere: aut ne sacrificandum, ne precandum, ne iurandum quidem, neque quicquam eorum faciendum, quæ singula tanquam cum præsentibus & vnâ viuentibus dijs agimus. Sed tamen si nihil illi de nobis statuerunt, licet mihi de meipso consilium capere, ac de mea vtilitate deliberare. Vtile autem est vnicuique id, quod est naturæ eius & constructioni consentaneum. At natura mea rationis est compos, & ciuili cœtui accommodata. Ciuitas mihi est & patria, quatenus quidem Antoninus sum, Roma: quatenus homo, mundus, hæc igitur tantum mihi sunt vtilia, quæ his ciuitatibus conducunt. Quæ singulis eueniunt, ea profunt vniuerso: id erat satis scire. Sed & hoc addendum, quod si animaduertere velis, vbique videbis: quæ homini, aut alijs hominibus * Sed nunc vocabulum Vtilis accipiamus latius, vt etiam medijs rebus pateat. Quæ in theatro aut similibus locis vides, ea quum semper eadem spectentur,

& vniformia, spectaculi satietatem afferunt. Id etiam de tota vita sentiendum. Omnia enim superiora & inferiora eadem sunt, & ex ijsdem causis extiterunt. Quò vsq; igitur? Adfiduò omnis generis homines considera, qui ex omnis generis professionibus & nationibus mortui sunt: ita vt etiam vsque ad Philistionem, Phœbum, & Origanionem descendas. Hic sanè cogitandum, idem euenturum nobis, quod accidit tot eloquentibus oratoribus, tot grauibus philosophis: Heraclito, Pythagoræ, Socrati: tot Heroibus prius, deinde tot ducibus, tyrannis: tum Eudoxo, Hipparcho, Archimedi, alijs acutis ingenijs, magnanimis, laboriosis, callidis, contumacibus: his ipsis qui caducam hanc & in dies durantem vitam hominum subsannarunt, vt Menippo & similibus. Hos omnes cogitandum est dudum esse mortuos: quid autem mali inde habent? Quid hi, quorum ne extant quidem nomina? Vnum hoc summi est precij, veritate & iusticia seruata, mendacibus & iniurijs hominibus placidum viuere. Cùm teipsum oblectare vis, cogita virtutes eorum qui viuunt tecum: strenuitatem eius, illius
vere-

verecūdiam aut liberalitatem, aut aliud quippiam. Nihil enim est, quod tantam afferat læticiam, quantam similitudines virtutum in eorum quibuscum viuimus moribus expressæ, ac sese confertim offerentēs conspectui. itaq; in promptu habēdæ. Non iniquè fers, tot libras te appendere, & nō trecentas: ita etiam quod annorum certum, & eo nō maiorem viues numerum, indignari non debes. Etenim vt corporis tantam, quanta tibi est tributa, portionem probas: ita & de tempore annitendum est, nobis vt persuadeamus. Etiam inuitis hominibus, id agendum non est, quod iusticiæ ratio iubet. Quod si quis vi te impediat, transi ad æquanimi-
tatem, eoq; impedimento ad alterius virtutis opus abutere: memor, te cum exceptione quadā instituere actionem, neq; ea appetere quæ fieri nequeāt. Itaq; is fuit imperus animi tui: cui satisfiat, si id cuius causa citatus es, consequatur. Gloriæ cupidus, alienam actionem pro suo bono reputat. voluptuarius affectionem, qua ipse afficitur: mente verò præditus, suam actionem. Licet etiam nihil de his existimare. ipsæ enim res non sunt eius naturæ, vt iudicium nostrum

efficiant. Adſuefac te, vt alio docente cogitationes non aliò diuertas, ſed totus animo dicentis ſis intentus. Quod aluea ri nō prodeſt, id ne api quidem prodeſt. Si nauæ malè gubernent, aut non rectè curentur ægroti, dicunt: Alius erat quærendus, cui me committerem: aut, quomodo hic ſalutem nauigantibus vel ægrotis ſanitatem afferret? * Quàm multi iam vnà cum his, quibuſcum in mūdum venerunt, ex mundo exceſſerunt? Morbo regio laborantibus mel amarum videtur: morſis à rabida beſtia, aqua eſt timori: pueris ſphæra pulcra eſt. Quid ergo irascor? aut tibi minor vis videtur eſſe falſitatis, quàm bilis apud ictericum, aut veneni apud morſum à rabioſo animali? Nemo prohibebit, quin ſecūdum rationem tuæ naturæ viuas: neque tibi quicquam accidet, quod ſit contra rationem vniuerſi. Quales ſunt illi, quibus cupimus placere: aut propter quid, quod eis ſuperſit, aut per quas actiones? quàm celeriter æuum omnia abſconder:

imò quàm multa iam
nunc occultrauit?

M. ANTO-

M. ANTONINI IM.

*peratoris de vita sua,**Liber VII.*

Quid est malicia? id, quod sæpenu-
mero vidisti. Et quicquid omni-
no acciderit, expedit in promptu te habe-
re hanc regulam, sæpe id esse à te visum.
Omnino si superiora & inferiora animo
repetas, inuenies omnia eadem esse: quo-
rum plenæ sunt priscae, mediæ, recentés-
que historiæ, & vrbes, & domus: nihil no-
uum est, omnia vfitata, & breui durantia
tempore. Neque verò alia ratione extin-
gui possunt opiniones, quàm imagina-
tionibus, quæ ijs respondent, abolitis:
quas quidem vt continenter resuscites,
in tua est positum potestate. Possum de
re oblata existimare, id quod oportet: si
hoc possum, quid est cur animo pertur-
ber? Quæ sunt extra mentem meam, ni-
hil omnino ad eam attinent. Hoc modo
affectus, rectus eris. Reuiuiscere potes:
nam si res quas antè vidisti, rursus apud
animum tuum contempleris, exactam
vitæ partem quasi repetes.

Inane pompe studium, fabulæ scenicæ,
greges,

greges, armenta, velitationes, ofsiculum catello proiectum, aut esca in piscinam iniecta, formicarum labores, & onerum gestationes, murium perterritorum discursus, simulacra nervis tracta ut se moveant. In his igitur oportet animo placido & non elato consistere: & intelligere, tanto vnumquemque dignum esse, quanto ea in quibus studium suum is posuit. In oratione singula verba: in ijs quę sunt singulę appetitiones sunt animaduertendę. atque hic statim videndum, quam ad finem eę referantur: illic, quid significant.

Sufficitne intellectus meus ad hanc rem, an secus? Quod si sufficit, ut oreo ad rem propositam tanquam instrumento mihi ab vniuersi natura concessio. Sin contra, aut eam rem alteri cuidam, qui melius id possit, perficiendam relinquo, presertim si alioquin id agere officium meum non iubet: aut ipse perago pro virili mea, adscito mihi auxiliario, cuius opera mea mens id efficere possit, quod in presentia sit commodum, & societati hominum conducatur. Quidquid enim vel solus vel cum alio ago, id omne eod est dirigendum, ut in publicum utile sit atque congruat.

(Quam

(Quàm multi quondam fuere celebres, quorum nunc fama est obliuioni tradita? quàm multi etiam horum qui istos celebrauerunt, è medio sunt sublati?)

Ne ducas tibi pudori, si cuius auxilio vsus es. Propositum est enim tibi id agere, quod sit tuarum partium: perinde ac militi in oppugnatione murorum. Quid ergo faceres, si tu claudicans, solus conscendere propugnaculum nequires: ab alio adiutus posses?

Ne te perturbent futura. Nam si ita vsus erit, peruenies ad ea eadem instructus ratione, qua nunc in praesentibus vteris.

Omnia inter se sunt complexa sacro nodo, neq; quicquam ab altero est alienum. Ordine enim omnia certo sunt disposita, vt vnum eundemq; mundum exornent. Mundus ex omnibus constat vnus, vnusq; per omnia diffusus est Deus, vna natura, vna lex, vna ratio communis omnibus ratione praeditis animantibus, vna veritas: siquidem & vna est perfectio eorum quæ eiusdem sunt generis, eiusdemq; participia rationis animantium.

Omne id quod materia constat, celerimè in vniuerso aboletur: omnis causa celer-

celerrimè in rationem vniuersi adsumitur: omnium rerum memoria quàm primum æuo confunditur.

Ratione prædito animali eadem actio & secundum naturam est, & secundum rationem.

3 Rectus, an qui erigatur? *Quam rationem in vnitis & compactis corporibus habent membra, eam obtinent ratione prædita animalia in diuisis, præparata ad vnā quandam actionem. Hoc eo magis animum tuum tanget, si crebrò tibi ipsi dicas: Membrum sum eius, quod est ex ratione præditis conflatum, corporis. Si autem dicas te esse partem, nondum ex animo diligis homines, nondum ex beneficentia delectationem capis, quam verè apprehēdat animus tuus: adhuc decori tantum causa ita agis, non vt in te ipsum beneficium conferens.

Sanè alijs quæcunq; accidunt, eorum est, si velint, ea culpæ: quoniam pati aliquid ab accidente eo possunt. Ego quidē rebus mihi contingentibus, nisi in malis eas ducam, nihil lædor: & licet mihi ea non putare mala.

Quicquid alij loquantur & faciant, me quidem oportet esse bonum, haud
ali-

aliter quàm si aurum vel smaragdus vel purpura semper ita diceret: Quicquid alij dicant, aut faciant, smaragdum esse oportet me, colorem seruare meum.

Mens ipsa seipsam non perturbat: hoc est, non affert sibi ipsi ullam cupiditatem aut metum. Si quid aliud est quod possit eam terrere, aut dolorem afferre, faciat sanè: ipsa quidē per se nulla opinione sibi hos motus affert. Corpusculum verò ipsum curet, si potest, ne quid patiatur, dicatque, si quid patitur. Animo nullus metus, dolor, aut opinio horum accidere potest. neq; enim ei sunt habitus ad hæc. Per se nulla re mens indiget, nisi seipsam indigam faciat: itaq; & perrurbationis, & impedimenti exors per se est, modò nō ipsa sese pturber aut impediatur.

Felicitas est bonus dæmon, seu bonū. Quid igitur tu hic agis phantasia? vnde venisti: non enim te opus habeo. Sed venisti secundum pristinam consuetudinem: non tibi succenseo, saltem abi.

Si quis mutationem timeret, is cogitet absque ea nihil fieri posse, neque esse ea quicquam naturæ vniuersi amicus. An tu lauare posses, nisi ligna mutarentur? aut ali, nisi nutrimento mutato? aut quid
nam

nam aliud vtile potest absq; mutatione fieri? Non ergo vides etiam tui mutationem earum similem esse, ac perinde necessariam vniuersi nature? Per vniuersam naturam, tanquam per torrentem, transeunt omnia corpora, vniuerso ipsi cognata, & eius operum adiutoria, vti & nostra inuicē sunt membra. Quot Chrysippos, Socrates & Epictetos æuum iam deglutijt? Idem de omni re & homine tibi ad animum accidat.

Vnum hoc me sollicitum tenet, ne quid faciam quod hominis cōstitutio aut nolit factum, aut alio modo vel tempore factum velit.

Propediem erit, vt & tu omnium rerum obliuiscaris, & nulla sit vsquam tui memoria.

Proprium homini est, vt etiam eos diligat qui peccant. Fiet hoc, si in mentem tibi veniat, esse eos tibi cognatos, imprudentia & inuitos peccare: paulo pōst & te & illum qui peccauit moriturum: idq; potissimū, non læsum te ab eo. non enim eius peccato tua mens deterior, quàm fuerat, facta est.

Natura mundi ex vniuersitate, tanquā è cera, modò equum finxit: mox eo confuso,

fuso, materia ista ad fabricam arboris vasa est, deinde ad homûculi, inde ad aliarum rerû. Harum singulæ quàm brevissimò durarunt spacio. Atqui arcula vt si compingatur, nihil est mali: ita ne si dissoluatur quidem. Irati vultus omnino est contra naturam, quando sæpius immoriendi sit prætextus: aut ad extremum extinctus est, vt omnino inflamma-
 *
 ri non potuerit. Hoc ipso intelligere labora, iram à ratione esse alienam. Nam si etiam sensus peccati nullus erit, quæ erit viuendi causa?

Quæcunq; vides, ea iam iam à gubernatrice mundi natura in alias, rursusq; et deinceps in alias mutabuntur formas: vt semper recens sit mundus.

Si quis aliquid contra te deliquerit, statim cogita quânam boni vel mali opinionè peccauerit: id enim si cernas, misereberis eius, ac neq; miraberis, neq; irascêris. Nam aut ipse idem quod is bonû putas, aut aliud quiddam eiusdem generis: venia ergo danda. Sin tu secus de bonis et malis iudicas, eo placabilior eris ei qui falsus. Non de ijs quæ absunt, tantum de præsentibus cogitandum est: sed præsentium ea quæ sunt aptissima,
 r
 deligen-

deligenda sunt : illorumq; causa memoria repetendum, quānam ratione fuissent quærenda, siquidem abfuissent. Cautamen præsentia adeò probes, vt etiā in honore ea habeas, ac si quando absint, perturberis. Intra teipsum vertere. Hæc est natura mentis, vt iuste agens, in hocq; acquiescens, nihil extra se quærat. Aufer visa, inhibe motum neruorū, circumscribe instans tempus, cognosce id quod vel tibi vel alij accīdat, diuide subiectum in materiam & formam, cogita de postrema hora.

Quod peccatum est, ibi cessat, vbi peccatum subsistit. Intendendus est animus ijs quæ dicuntur, mente penetrandum in causas & effectus.

4 Exorna teipsum simplicitate & verecundia: eoq; vt quæ sunt medio inter virtutē & vitium loco, in nullo ponas discrimine. Dilige humanum genus, obsequere Deo : is enim ait omnia fieri certa lege. Quòd si diuina sunt etiam elementa : satis est meminisse, hæc omnia certa lege cōstare, aut admodum pauca secus.

Mors est aut dissipatio, aut indiuiduarum particularum secretio, aut exinanitio, aut extinctio, aut migratio.

Dolor

Dolor si sit intolerabilis, mortem affert: diuturnus ferri potest: interimq; animus suam retinet tranquillitatem, neque sit deterior. At partes dolore confectæ, ipsæ quærantur, si quidem possunt.

Hominum opiniones de gloria intue re, quales sint, quid propositum habeât, quid fugiant.

Utq; in littore maris arenæ cumuli alij super alios appulsi, priores occultant: ita in vita quoq; priora à subsequentibus celeriter absconduntur.

Platonicum: Qui igitur animo est præditus alto, & cognitionem habet omnis temporis, omnisq; naturæ, an tu cum existimas hominis vitam magnum putare aliquid? Nequaquam, respondit ille. Ergo, inquam, ne mortem quidem in malis ille reputabit? Minimè verò.

Antisthenicum: Regium est, malè audire, cum bene feceris. Turpe est, vultum obsequi intellectui, seq; componere ita ut is iubeat: cum ipse intellectus seipsum non componat, atq; ornet.

Nam rebus irasci, nihil sanè expedit:

Iram curant enim nostram nihil.

Dijs lethi ignaris, & nobis gaudia dones.

Frugiferam uti spicam meæ vitæ metam.

* Atq; hoc quidem esse, illud non.

Quòd si dii me, liberosq; negligunt,
Ratio est & huic. —

Mecum enim est Bene & esse, & iusticia. Non vnà lugere, neq; tremere.

6

Platonica: Ego autem haud iniuria huic ita respóderim: Nò rectè dicis, ô homo, si putas esse vel vitam vel mortem aliquo in discrimine ponendam ei viro, qui vel alicuius sit precij: ac non id potius vnum considerare eum inter agendum, iustène an iniustè agat, & officiùmne faciat viri boni, an verò secus. Rei enim veritas, ô Athenienses, ita habet, vt quo quis loco seipsum constituerit, existimans ita optimum esse, aut à magistratu eò collocatus fuerit, ibi (mea quidem sententia) persistere debeat, ac quoduis periculum subire: neque mortem, vel vllam aliam rem turpitudine grauiorem ducere. Sed heus tu, vide, ne animi magnitudo & bonum aliud quidpiam sint, quàm seruare, & seruari. Neque enim concedendum est, eum reuerà virum dici mereri, qui quantocunq; tempore viuendum, neque rationem vitæ habendâ putat: sed eum, qui de his cura Deo commissa, credens ijs qui dicunt, non posse fatum

7

fatum ab vilo euitari, id considerandum porro ducat, quânam ratione tempus vitæ cōcessum sibi quàm optimè exigat.

Cursus siderum considerare expedit, quasi eos comitaremur, & elementorum mutuæ mutationes crebrò cogitandæ. Hę enim cogitationes vitæ humilis sordes abstergent. Bene est à Platone hoc dictum : Etiam cùm de hominibus loquimur, intuendum est in res terrenas. Etenim qui memoria altius reperierit hominum congregationes, exercitus, agriculturas, nuptias, pacta, ortus, interitus, iudiciorum turbas, vastitates regionum, varias Barbarorum gentes, ferias, luctus, nundinas : in summa, qui colluuiem illarum, & ex contrarijs compositum præteritorum aceruum, tantasque imperiorum mutationes recoluerit, is etiam futuram præuidere poterit. Quippe eandem hæc habent cum præteritis formã, neq; alio possunt modo fieri. Iraque etiam idem est, quadraginta, an decies milium spacio annorum, vitam humanam examines. nihil enim amplius videbis.

Ex terra enim nata, in terram redacta sunt : quæ verò genus traxerunt cælitus,

rediere ad æthereū polum: siue hæc quæ
dissolutio complexuū, quibus atomi iun-
guntur, siue elementorum passionis ex-
pertium dissipatio.

*Cibisq; potuq; & magicis adeo artibus
Auertimus curram, & mortis fugimus viam.*

Flantem diuinitus auram

Opus est tolerare laboribus,

Luctu, lachrymisq; calentibus.

- 8 Est aliquis te peritior luctu: quid tum?
at non societatis humanæ studiosior est,
non verecundior, non ita commodè fert
ea quæ accidunt, non ita mitis hominū
peccatis.

Vbicunq; potest aliquid perfici, secun-
dum cōmunem dijs & hominib. ratio-
nem, ibi nihil est mali. Nam vbi utilita-
tem consequi licet actionis, quæ recta via
procedit secundum constitutionem ho-
minis: ibi non est verendum, ne quid
subsit damni. Vbiq; & semper in tua est
manu positum, vt ea quæ in præsentia ti-
bi acciderunt, & approbes piè, & cū ho-
minibus qui tecum sint iuste agas, & vi-
sa oblata artificiose examines, ne quid
non satis perceptum admittatur. Noli
aliorum mentes circumspicere: sed eò
rectà intueri, quò te natura ducit cū
vni-

vniverſi, per ea quæ tibi eueniunt: tum tua, per ea quæ tibi ad agendum ſunt propoſita. Id autem vnicuiq; ad agendum proponitur, quod eſt eius conſtitutioni conſentaneum. Porro ita conſtituta ſunt & comparata ſingula: reliqua quidem omnia eorum cauſa, quæ mente ſunt prædita, nimirum deteriora præſtantiorum cauſa: ratione autem præditorum, vnum alterius cauſa factum eſt. Primas igitur inter partes ex quibus homo conſtat, ea pars obtinet, quæ ſocietatem humanam reſpicit: alteras ea, qua ſibi à perſuaſionibus corporeis ille abſtinet. Ratione enim & intellectu præditi motus proprium eſt, ſeipſum circumſcribere, & neq; ſenſitiuæ neque appetitiuæ motioni ſuccumbere: harum enim vtraq; etiã brutorum eſt. At intellectiua principatum obtinere, neq; ab illis regi vult: nec iniuria, quippe cuius natura ferat, vt omnibus reliquis ipſa vtatur. Tertium eſt, vacuitas temeritatis & erroris: quibus intentata pars princeps, rectà progredietur, ſuis contenta.

Tanquam mortuo, & cui hætenus tantum vitæ uſura fuerit conceſſa, quod ſuper eſt, viuendum tibi erit ſecun-

dum naturam, tanquam ex abundanti.

Tu solus ea diligēs quę tibi fatum iniunxit, eo contentus esto. Quid enim magis congruum, quàm vt singula eueniūt, statim eos ante oculos habere, qui cum eadem ipsis euenissent, indignati sunt, nouitatem rei mirati, & repræhenderūt ea. Vbi nuncij sunt? nusquam. Quid at- tiner te eorum similem esse velle? ac non potius alijs suum morem relinquere: ipsum in hoc esse, vt rebus tuis bene vtaris? Idq; poteris præstare, nec deerit materia: modò animaduerte, & stude, vt tibi ipsi in omnibus actionibus videaris honestatem consecutus. Vtriusq; verò actionum finis recordandum est. Intrò respice: intus est fons boni, semper scaturiens, siquidem semper fodias.

Corpus constare, ac neq; motu neque habitu dissolutum esse debet. Sicut enim mens efficit, vt vultus sit compositus & aptus, ita de toto corpore vt tale sit, annitendum est. Omniaque hæc curandum est, vt ne ostentationis causa simulata sint.

Viuendi ars palęstricæ est quàm saltatoricæ similior: eo quòd ipsa quoq; curat, vt ad ea quæ incidunt, neque antè sunt præ-

præcognita, parata sit, & à casu tutū hominem seruet.

Adsiduò inquire quales ij sint, quos testimonium de te ferre vis, ac quæ eorum sint mentes. Ita neq; eos qui inuoluntariè peccant culpabis: neq; testimonij egebis, si in ipsos fontes inspicias, unde ij opiniones suas, appetitionesq; hauerunt. Omnis animus, inquit ille, nō sua sponte priuatur veritate: idem sentiendum de iusticia, temperantia, benignitate, omnibusq; similibus. At necessarium est quàm maximè, id te nunquam non meminisse: ita enim erga omnes eris mitior.

De omni dolore in promptu sit tibi cogitare, eum neq; turpem esse, neq; mentem gubernatricē reddere deteriorem. quippe hæc neq; ratione materiæ, neq; societatis humanæ damnum accipit. In maiori autem dolorum numero etiam Epicuri dictum prodest, Eum neq; intolerabilem esse, neq; æternum: siquidem finium recorderis, ac non præiudicium feras. Id quoq; recordare: multa cum eandem habeant cum dolore naturam, tamen occultè modò molesta esse: vt dormituri, æstum ferre, nauseare: quorum

aliquid si moleste fers, dic tibi ipsi, Ecce dolori succumbis.

Vide ne ita afficiaris contra inhumanos, ut homines contra homines.

10 Vnde nobis constat Socratem fuisse illustrem, & meliori constitutione præditum? Non enim satis est eum clariore morte occubuisse, aut peritiùs cum sophistis disputasse, & patientiùs in frigore pernoctasse: & Salaminium abducere cum esset iussus, fortiter repugnasse, ac in vijs maiestatem vultus præ se tulisse, de quo maximè dubitari potest an verum id fuerit. Sed hoc considerandum est, quo animo fuerit Socrates, an potuerit contentus esse, si iustum se hominibus præberet, ac pium erga deos: an neq; temerè ob aliorum maliciam sit indignatus, neq; vilius inscitie subseruiuerit: an nihil eorum quæ ei vniuersi natura attribuisset, tanquàm peregrinum aut intolerabile acceperit, nunquàm ne affectibus carnis consentientem mentem præbuerit.

Non ita cõfudit omnia natura, ut non liceat circûscribere seipsum: & quæ sunt propria cuique, ea ipsum in sua retinere potestate. Admodum enim possibile est, ut quis diuinus vir fiat, ac à nemine cognosca-

gnoscat. Huius semper memento : atque huius etiam, quòd vitâ beata in paucissimis rebus est posita. Neque quia desperasti te dialecticum aut physicum futurum: iccirco, etiam liberum, pudicum, sociabilem, Deo quæ obediens te fieri posse diffide.

In maxima animi voluptate licet vivere, tutum ab omni vi, ut cunque omnes quæ volunt cõtra nos clamitent: etiam si corpore quæ huius molis membra à feris lanietur. Quid enim obstat, quo minus interim mens seipsam conferuet in tranquillitate, verò quæ de rebus præsentibus iudicio, & usu eorum quæ sunt præ manibus expedito : ita quidem, ut iudicium rei subiectæ dicat, Sanè tu natura tua hoc es, etsi aliud videris: ut quæ usus dicat rei oblata, Ego te querebam. semper enim id quod adest, materia mihi est exercendæ virtutis rationalis & ciuilis, omnino quæ virtutis humanæ aut diuinæ. Omni enim id quod accidit, Deo est aut homini familiare, neque nouum, neque intractabile, sed consuetum & tractabile.

Perfectio morum hoc præstat, ut omnem diem tanquã supremum agas, nihil tremas, nihil torpeas, nihil simules. *Dij
cũ*

cum sint immortales, tamen non indignè ferunt, quòd in tam diuturno æuo semper omnino tot improbos homines perferre debeant: quinimò illorum curam summam gerunt. Tu autem qui iā iam cessabis viuere, desperas, idq; vnus è numero malorum. Ridiculum est, te nō fugere tuam ipsius maliciam, id quod potes: aliorum velle fugere, quod non cōceditur tibi.

Quicquid rationalis & ciuilis tua vis inuenerit neq; rationi consentaneum, neq; ad societatem conducens, id rectè ea indignum iudicabis.

Si tu bene alicui fecisti, & est qui à te beneficium acceperit, quid præter hæc duo tertium aliquid requiris stultorum more, vt & videaris bene fecisse, & gratiam recipias? Nemo defatigatur accipiēdo aliquid vtile. Atqui vtile tibi est, te secundū naturam aliquid agere: ne igitur, dum alij prodes, defatigare, tibi aliquid boni parando.

Vniuersi natura olim ad mundum fabricandum se contulit: nunc autem vel omnia quę sunt, consequentia sunt sua: vel etiam in præcipuis eorum, ad quæ se mundi gubernatrix natura confert, ratio
ni nul-

ni nullum locum esse & consilio, tenendum est. Hoc, si memoria teneas, multis in rebus animo vt sis tranquilliori, efficiet.

M. ANTONINI IMPE-
ratoris de Vita sua Liber VIII.

ID quoq; ad minuendam gloriæ cupiditatem facit, quòd non licet tibi adhuc totam vitam, quæ à prima tua ætate fuit, philosophicè viuere: sed cùm multis alijs, tum verò tibi ipsi manifestũ est factum, re procul à philosophia abesse. Conturbatæ igitur sunt tuæ rationes, cū neq; ipse iam nomen philosophi facile possis adipisci, & tuum institutum repugnet. Si itaque verè perspexisti, in quo sit res posita, omitte curare quis habearis: satis autem sit tibi, si reliquum vitæ arbitrio naturæ exigas. Quid ea velit, cogita: hinc te nihil diuellat. Expertus enim es, circum quot res vagatus, nusquã vitã beatã inueneris: non in ratiocinationibus, non in diuitijs, non in gloria, non in voluptate, nullibi. Vbi verò est? in agendo ea quæ hominis natura requirit.

Quo-

Quomodo ita ager? Si ea habeat decreta, à quibus consentaneæ appetitiones & actiones veniant. Quæ sunt illa? de bonis & malis. Scilicet, nihil esse bonum homini, quod non reddit iustum, temperantem, fortem, liberalem: nihil malum, nisi quod horum contrarium efficiat.

In omni actione à te ipso quære, Qualis ea mihi est? an me eius pœnitebit? Paulo pòst moriar, & omnia è medio tollentur. Quid præterea requiro, si præsens actio animalis est mente præditi, societatis hominum studiosi, & Deo æqualis.

Alexander, Caius & Pompeius, quid hi ad Diogenem, Heraclitum, vel Socratem? Hi enim nouerant res, earum causas, materias: ita erant ipsarum mentes instructæ. Ibi verò quibus in rebus esset prudentia, & seruitus. Nihilominus eadem facient, etiam si tu te ruperis.

Primum est hoc, Ne perturberis: omnia secundum vniuersi naturam eueniunt: paulo pòst nusquam eris, sicut nunc Adrianus & Augustus. Deinde in rem ipsam intueri, eamq; considera: recordatusq; debete te esse bonum virum, ac quid hominis natura velit, age id quod pro-

propositum est constanter, ac iustissimè
tunc te egisse pura: modò placidè, vere-
cundè, & citra simulationem egeris.

Vniuersi natura hoc agit, vt quæ hoc
modo habent, aliò muter, & ex vno lo-
co in alium res transferat. Omnia con-
stant mutationibus, neq; quicquam me-
tue: nihil enim noui, omnia vñtata eue-
niunt, & æqualiter dispensantur. Cæte-
rùm vnaquæq; natura, si recta via ingre-
diatur, sibi ipsi sufficit. Natura autem in-
tellectu prædita id facit, si in cogitatio-
nibus id obseruet, ne falso aut obscuro
adstipuletur: imperus animi ad eas solū
actiones dirigat, quæ faciunt ad societa-
tem hominum: ea tantum appetat, & vi-
tet, quæ in nobis sunt posita: omnia quæ
à communi natura tribuuntur, grata ha-
beat. Huius enim pars est, sicut natura fo-
lij naturæ stirpis pars est: nisi quòd hæc
est eius naturæ, quæ & sensu & intelle-
ctu carens, impediri possit. Hominis na-
tura, pars est naturæ quæ impediri non
possit, intelligat, & iustà sit: siquidem æ-
qualiter, & pro dignitate vniuscuiusvis,
tempora, substantiam, actionem, & eue-
nta diuidit. Cōsidera autem æqualitatem
eam inuēturum te, si singulas res exami-
nes;

nes : sin vnam cum vniuerſis conſeras,
non item.

Atqui licet libidem arcere, voluptati-
bus & doloribus ſuperiorem eſſe, itemq;
gloriola : licet etiam ſtupidis & ingratis
non irasci.

Nemo te audiat vitam auſicam repre-
hendere, ac ne tuam quidem ipſius.

Pœnitentia eſt, repræhenſio quædam
ſui ipſius, propter bonum aliquod dimiſ-
ſum: bonû verò oportet vtile eſſe, ideo-
que eius cura eſt habenda viro bono &
honeſto. At nullus talis pœnitentia du-
cetur, ob neglectam aliquam voluptatē.
ergo voluptas neq; in bonis eſt, neq; in
vtilibus numeranda.

Res ita expēdendæ ſunt. Quid eſt hoc
per ſe, & ſua propria cōſtitutione quæ
eius ſubſtantia & materia, quæ forma?
quod eius in mundo officium, ac quan-
diu permanet? Si difficulter à ſomno ex-
pergiſcaris, reminiſcere, conſentaneum
eſſe tuæ cōſtitutioni, & naturæ huma-
næ, vt aliquid agas quod cœtui humano
proſit. At dormire, etiam brutis eſt cō-
mune. Quòd autem vnicuiq; ſecundum
naturam eſt, id & magis proprium ei eſt,
& cognatiſ, adde etiā gratius. Hoc ad-
ſiduò

fiduò & quibuscunq; incidentibus cogitationibus si fieri possit, in promptu habendum.

Si de natura, affectibus, aut alijs rebus disputare cum aliquo liber, statim reipsum antè interroga : Quænam is sentit de bonis & malis. Nam opiniones de voluptate & dolore, eorumq; efficiētibus, de honore, ignominia, morte, vita. *

Non debet mihi nouum aut mirum videri, si quæ res hoc aut hoc modo agant: cogitabo enim, ita opus esse fieri. Cogitabo, sicut turpe sit velle me in miraculum rapere, si ficus fructum suum producat: ita etiam, si mūdus ea proferat, quorum est ferax: etiam medico & gubernatori turpe sit, mirari velle, si quis febricitaret, aut si aduersus ventus existeret.

Memento, mutare sententiam, & rectè monenti obsequi, perinde esse liberi. Tua enim actio secundum tui animi imperum fit, atque iudicium, tuamq; mentem.

Si in tua est potestate, cur facis? sin in alterius, quid repræhendis? atomósne, an Deum? quorum vtrumq; est cum insania coniunctum. Nihil igitur repræhendendum. Nam si potes, vel eum qui cau-

s sa est,

sa est, corrige: vel, si prius nequis, rem ipsam: sin neutrum, quid iam tibi profuit repræhendisse? Atqui nihil frustra faciendum.

Quod moritur, non excidit è mundo: nam vt constat & mutatur, ita etiam dissoluitur in elementa, quæ tibi sunt cum mundo communia. atq; hæc ipsa etiam mutantur, neq; indignè ferunt. Vnumquodq; est ad certum finem factum: vt vitis, equus. Quid mirum? etiam sol, & reliqui dij possunt dicere, cuius rei causa facti sunt.

Tu verò cuius causa? num voluptatis? vide an hoc ferat intellectus.

Natura consilium iniit de vniuscuiusque rei tam fine quàm initio & duratione. Si quis pilam in sublimè iaciet, quidnam ea vel cùm effertur, vel cùm deferretur, aut cadit, quid boni malique patitur? Quid bullæ boni accidit, si cõstet: aut mali, si dissoluatur? Idem de lucerna possis intelligere. Cogita quid fiat corpusculo, si senescat, si ægroter, si scortetur.

Brevis vita est & laudantis, & eius qui laudatur: eius qui mentionem facit, & eius cuius mentio fit: præterea fit hoc in angulo portionis mundi, ac neque ibi qui-

quidem omnes consentiunt, imò ne sibi quidem ipsi quisquam. Tota verò terra punctum est.

Animum aduerte subiectę rei, aut opiniononi, actioni, aut dicto. Meritò hæc pateris, malles verò cras bonus fieri quàm hodie. Si quid ago, id ita fit à me, vt ad benefaciendum hominib. referatur. Accidit mihi aliquid, refero id ad deos: omniumq; rerum fontē, & originem, à qua omnia inter se connexa dependent.

Lauare, quæ tibi res videtur? Oleum, sudor, sordes, aqua, strigmēta: omnia abominanda. Ita se omnis pars mundi, omnisq; res subiecta haber.

Lucilla Verum, deinde Lucilla secunda Maximum: secunda Diotimum, Faustinam: Antoninus hæc omnia. Ceterum Adrianum, inde Celer. *Vbi verò austeri illi & vates, & inflati? vt ex austeris Charax, & Demetrius Platonius, Eudemon, & si qui alij tales. Omnia in diem durāt. iam pridem mortui sunt: quorundam ne minimo quidem tempore durauit memoria: quidam fabula facti sunt: nonnulli etiam è fabulis iam euauerunt. Id igitur memoria tenendū, quòd necesse erit aut dissipari tuam mixturā, aut ex

tingui animulam, aut mutari, & aliò transferri.

Læticia hominis est, vt faciat quæ ei sunt propria. Propria autem eius sunt: beneuolentia erga suum genus, contemptus moruum qui sunt in sensibus, distinctio inter visa probabilia, contemplatio naturæ vniuersi, & eorum quæ secundum eam fiunt. Item tres respectus: vnus ad causam proximam: alter ad diuinâ causam, à qua omnia omnibus eueniunt: tertius ad eos qui nobiscum viuunt. Dolor aut corpori malus est, ergo ipsum id pronunciet: aut animo. Sed animus potest suam tranquillitatem & serenitatem cōseruare, neq; dolorem pro malo ducere. Omne enim iudicium, omnis impetus, appetitio, & inclinatio intus est: neq; ei dolor quicquam mali affert. Quare omnia visa tolle ex animo.

Continenter te ipsum admone: nunc in mea est potestate, vt in animo hoc nihil sit maliciæ, nihil cupiditatis, nihil tumultus: ac cum omnia ita cernam, vti sunt, singulis vtor pro ipsorum dignitate. Hoc tibi licere memineris secundum naturam.

Loquere & in senatu, & cum quibuscunq;

cunq; hominibus compositè. Sana oratione non est apertè semper vtendum. *

Aula Augusti, vxor, filia, nepotes, posterì, soror, Agrippa, cognati, propinqui, amici, Areus, Mæcenas, medici, sacerdotes: omnino totâ aulam mors abripuit. Deinde etiam accede, vbi non vnus modò est mortuus homo. vt vrbs Pompeij perierunt. monumentis etiam inscribi videmus, fuisse aliquem suæ familiæ vltimum. Quàm anxij verò fuere maiores eius, vt aliquem successorem relinquerent: & ramen necesse est aliquem esse vltimum.

Vita componenda est ita, vt constet vniuscuiusq; actionis ratio. Quarum si vnaquæq; suum, quantum eius fieri potest, præster officium, contentus sis: atq; id quo minus fiat, nemo tibi obstare poterit. Sed obstabit, inquis, aliquid extrinsecus. Nihil quidem, quod iusticiæ, modestiæ & prudentiæ impedimento sit. Atqui fortassis aliquid vim agendi habens impedietur? quin tu id impedienti boni consule: sicq; statim factò transitu ad id quo conceditur moderato, alia emerget tibi actio, quæ ad eam de qua loquimur constitutionem quadret. Accipiendum

piendum sine fastu, dimittendum cum facilitate.

Si quando vidisti manum abscissam, vel pedem, caputue amputatum alicubi seorsim à corpore iacere, cogita ei se assimilare quantum in ipso est, hunc qui improbat ea quæ ipsi eueniunt, seq; à cōmuni societate seiungit, aut agit aliquid ab ea alienum. Ita tu te ipsum ab vnitione naturali abruptisti, cuius eras pars natus: nunc verò te ipsum abscidisti. Id verò scitum est, quòd iterum tibi licet ei adiungi: id quod nulli alij parti Deus cōcessit, vt separata & auulsa rursus inolescere toti. Hic mihi bonitatem considera, quæ homini tantum honoris derulit. Nā & initio ipsius in manu posuit, ne à toto auelleretur: & deinde, vt auulsus redire, iterumq; condescereq; & locum partis recuperare posset, dedit. Nā quemadmodū singulæ ferè rationis cōpotes naturæ ab ea cæteras facultates, ita nos quoque hâc ab ipsa accepimus. quēadmodum enim ipsa omne id quod obstat & resistit, cōuertit, & fato subijcit, suamq; partē efficit: ita animal ratione præditum potest omne impedimentū pro sua materia accipere, eoq; vti ad id quod intenderat.

Ne

Ne te cogitatio totius vitę confundat: neq; animum aduerte ijs quę multa videntur dolorem posse afferre. Sed singulis rebus oblati, à te ipso quære, quidnam in ea re sit intolerabile: id enim pudebit te fateri. Deinde memineris, neque pręterita tibi, neque futura ullam afferre molestiam, sed pręsentia tantum. At hæc extenuantur, si suis ea limitibus determines, cogitationem quę tuam redarguas, si ea tam exiguę rei non sit ferendę.

Num iam domini tumulo adsident Panthea, aut Pergamus? Num Adriani sepulcro Chabrias & Diotimus? ridiculum hoc. Quid verò si adsiderent, sentirentne illi? aut voluptatem caperent, si quidem sentirent? aut si eam cepissent, an eo immortales essent redditi? Nonne his quoque fatum fuit, vt senes & vetulę prius fierent, inde morerentur? Quid autem illi postmodò facient, his mortuis? Omnia hæc fœtida sunt, & tabus in sacco.

Si acutē videre potes, aspice & quàm sapientissimè iudica, inquit ille.

In constitutioe animantis mente pręditi, nullam inuenio virtutem quę

iusticiam expellat: sed quæ voluptatem
eijciat, video continentiam.

Si tuam opinionem detrahas ab eo
quod videtur dolorem afferre, ipse in
tutissimo es collocatus. Quis ipse? Ra-
tio. Verum ego, inquires, non sum ra-
tio. Esto. Proinde ratio seipsam ne dolo-
re afficiat: Si quid aliud in te est quod le-
datur, ipsum de se iudicet.

Cùm impeditur sensus aut appetitus,
id malum accidit vegetatrici animæ: quæ
& alia ratione offenditur. Ita si mens im-
pediatur, fit cum damno mente prædi-
tæ naturæ. Hæc omnia ad te transfer.
Dolor, voluptas, attingunt te? Si visus
impediatur quo minus cernat, impedi-
tur iam sensus. Quòd si absq; exceptio-
ne aliquid appetis, iam id cum rationis
capacis partis incommodo fit: sin com-
mune tibi propositum est, neq; læsus es,
neq; impeditus. Méris quidem proprias
actiones nihil aliud impedire potest: nō
enim attingitur ab igni, ferro, tyranno,
aut calumnia, aut alia vlla tali re.

Sphæra cum fit, rotunda manet.

Indignum est, me mihi ipsi dolorem
afferre, qui nullum vnquam alium lubēs
læserim.

Alijs

Alijs aliæ res læticiam afferunt: mihi, si pars mei princeps sana sit, neq; auerferatur quenkumque vel hominem, vel humanum casum: sed omnia placidis aspiciat oculis, omnia accipiat, ijsq; vtatur vti dignum est.

Disce præsens tempus tibi ipsi gratificari. Qui commendationem posteritatis magis curant, non reputant eos horum similes futuros, quos nunc ægrè ferunt: atq; ipsos etiam mortales. Porro quid omnino tua interest, si talibus ij vocibus te content, aut ita de te sentiant?

Tolle me, & pone quocumq; volueris: ibi enim vtar genio meo propitio: id est, contèto, si habeat se & agat naturæ meæ consequenter.

Id verò an dignum est, vt malè propterea habeat animus meus, ac seipso deterius? abiectus, appetens, anxius, perterritus? Ecquid eo dignum inueniam? Homini nihil accidere potest quod non sit humanum: neq; boui, viti, saxo quicquā, quod non sit consentaneum eius naturæ. Quòd si vnicuiq; id contingit quod & consuetum est, & naturale, quid est cur indigneris? nihil intolerabile tibi communis adfert natura. Sin pro-

pter extraneam aliquam rem perturbaris: non illa tibi, sed tuum de ea iudicium, molestiam affert: id verò ut aboleas, in tua est potestate. Quòd si quid eorum quæ in te sunt, te molestat, quis est qui prohibeat, ne opinionē emēdes? Similiter si doles te hoc non agere, prodest cogitare, cur non potius agas aliquid, quàm doleas: sin aliquod potentius obstat, noli dolere, cū non fiat tua culpa, ne agas. At videtur viuendum non esse, nisi hoc agatur. placidius ergo vitam relinque: quando & is qui agit, moritur æquus impredientibus.

Memento partem tui principem superari non posse, cum in se collecta se ipsa contenta est: neq; quicquam præter voluntatem agat, etiam si non instructa ratione pugnam conferat. Quid ergo fieri, si etiam à ratione parata, circūspectè de rebus iudicet. Itaq; mens ab affectibus libera, arx est: nihil enim munitius homo habet, quò refugiens superari non potest. Id qui non vidit, indoctus est: qui vidit, neq; eò refugit, infortunatus.

Si quid visa aut cogitationes tibi renūciant, caue aliquid tu addas. Renunciatum est, aliq̃ tibi malè dixisse. Esto id
alla-

allatum: non tamen id quoq;, esse te læsum. Video puerum ægrotare. video: sed quod in periculo sit, non video. Ad hunc modum semper insiste primis visis, nihil ipse intus adijce: ita nihil mali erit. Imò hoc adde, nosse te omnia quæ in mundo eueniunt.

Cucumis amarus est, omitte eum: vepres in via sunt, declina eas: neq; verò dicas, Curnam hæc in mundo sunt facta? ridereris enim ab homine naturæ rerum indagatore: haud secus quàm à fabro aut sutore, si damnares, quòd in officina ramenta & refecamenta operum videres. Atqui hi ea possunt aliquò abijcere: vniuersi natura nihil extra se habet. verùm hoc in eius arte potissimùm mirari decet, quòd cùm seipsam circumscripsisset, omnia quæ in se habet, quæ obnoxia corruptioni, senioq;, & nullius esse vsus videantur, in seipsam transmutat, rursusq; ex his alia noua efficit: ita vt neque substantiã extra se requirat, neq; locum, quò viliores res eiiciat. Contenta est igitur suo loco, materia, & arte.

Neq; in rebus agendis fluctuandum est, neque in communi vita turbandum, neque cogitationibus yagandum, neq;
omnino

omnino animus contrahendus, aut subito impetu efferendus, neq; vita occupationibus inanibus atterenda. Cedes peragunt homines, mactant, execrantur: quid hæc possunt, quo minus mens tua permaneat pura, prudens, modesta, iusta? Quemadmodum si quis limpido & dulci fonti assistēs, ei conuicium faciat: ille quidem ob id non cessat puram aquā scaturire: quin & si quis lutum aut ster-cus iniiciat, ramen statim illa dissipabit atq; eluet, neq; ab ijs obturabitur. Quid ergo agendum, vt fontem perennem habeas, non cisternam? Compose te ipsum vt sis ad omnes horas liber, mansuetus, simplex, verecundus.

Qui nescit esse mundum, nescit vbi sit. Qui nescit, cuius rei causa sit natus, neq; quis ipse sit, neq; omnino mundum esse scit. Quorum alterutrum cui deest, is cuius gratia extiterit, dicere nequeat. Vter verò tibi elegantior videtur: is qui plaudentium fugit laudem: an illi, qui neq; vbi, neq; qui sint, cognoscunt?

Laudari cupis ab homine, q seipsum spacio vnius horæ ter execratur? placere vis homini, qui ne sibi quidē ipse probatur? nisi is probetur sibi ipsi, qui ferè omnium

nium eorum quę egerit, pœnitentia corripitur.

Non iam tantum vnà spirandus est circumfusus aer : sed & consentiendum cū mēte, quę yniuersa cōplectitur. Haud enim minus vis intellectrix omni ei quod eam trahere potest, circumfusa est, quàm spiritus spirare volenti.

Generatim malicia mundo nō obest : in specie autem, nihil lædit proximum. Soli ei obest, cui & concessum est : vt cum primum ita voluerit, liberari ea possit.

Non magis ad meam voluntas aliena pertinet, quàm vel anima eius : vel caro. Nam etsi maximè verum est, vnū quenq; nostrum esse alterius causa natum : tamē principes nostrum partes, suū quælibet dominium obtinēt. Etenim cur alterius malicia mihi esset malo ? cum non sit visum Deo, vt in alterius sit potestate, esse me infelicem.

Sol diffusus esse videtur ? atq; omnino quidem fusus est, non tamen effusus. Fusio enim eius, extensio. Itaq; & fulgores eius, quos nos radios, actinas ab extendendo Græci dicunt. Quæ autem sit natura radij, videre est, si inspicias lumen solis per angustum in vmbrosam domū immis-

immisſū. Rectà enim immittitur:& diuiditur ad obiectum ſolidū corpus,quòd aerem intercipit:ibi verò permanet,neq; decidit. Ita & intellectū fundi ac diffundī,non tamen effundi oportet:quippe vt extendatur,neq; vi & temerario impetu ad obiecta impedimenta impingat:neq; concidat, ſed perſtet,& illuſtret id à quo accipitur.Id quidem quod eum tranſmitteret, ſplendore ſeipſum priuabit.

Qui mortem metuit, aut amiſſionem ſenſuum timeret, aut diuerſum ſenſum. Quod ſi amitteret ſenſum, nihil vtiq; mali ſentiet: ſin alium ſenſum adipiſceretur, aliud erit animal,neq; amitteret uitam.

Homines: vnus alterius cauſa nati ſunt. Diſce igitur, aut ſer.

Aliter iaculum,aliter mens fertur.Hęc enim etſi cauta ſit, & in deliberatione verſetur, rectà tamen fertur. ingredi in principem cuiuſuis partem: præbet autem etiam alij vnicuique ingredi in ſuam principalem partem.

M. ANTO-

M. ANTONINI IM-

peratoris de Vita sua Liber IX.

Qui iniuste agit, impietatis se obligat. Etenim cum vniuersi natura ratione prædita animantia eò effecerit, vt quantum eius dignum est, vnum alteri prosit, noceat autem nequaquam: qui voluntatem eius præuaricatus, impius vtiq; est in omnium decorum primam. Ac qui mentitur, etiam impietatis in eandem deam sese obligat. Natura enim vniuersi, eorum est natura quæ sunt: hæc autem omnia inter se cognata sunt. Porro autem, eadem Veritas dicitur, verorumq; prima est causa. Qui itaque studio mentitur, eo quòd decipit, impius est: qui non dedita opera, eo quòd ab vniuersi natura discrepat: & quòd præter decorum agit, repugnans vniuersi naturæ: repugnat enim ei qui in contrariam partem à veris deflectit, præterquam ipsius natura ferat, quæ ei occasiones præbuit: quibus neglectis, non potestiam vera à falsis discernere. Impietatis damnus is quoque est, qui voluptates tanquam bonum appetit,
dolo-

dolorem vt malum fugit. Hic enim necesse est sæpenumerò incuset cõmunem naturam, qua si ea aliquid præter dignitatem bonis malisue tribuerit: propterea quòd sæpe mali voluptatibus fruuntur, eaq; quibus efficiuntur eæ possidēt, boni verò dolore afficiuntur, & in causas doloris incidunt. Iam qui dolorem meruit, metuet aliquando aliquid eorū quæ in mundo fient: id verò impium est. Rursus qui voluptatem consecatur, non abstinebit se ab iniusticia: id verò palàm impietas est. Oportet autem ad ea quæ natura in vtranq; partem equalia effecit, (neq; enim vtraq; fecisset, nisi ad vtranq; partem ex æquo se habuisset) eum qui naturam vult sequi ducem, similiter æqualiter esse affectum. Itaq; qui dolores et voluptates, mortem & vitam, gloriam & ignominiam, quibus æquali ratione vtitur natura, non in eodem ponit momento, proculdubio impiè agit. Quod autem dixi, Naturam communem ijs ex æquo vti: ita intelligendum est, quod ea eueniunt in vtramque partem consequentia quadam, iuxta antiquum prouidentiae imperum, quo illa ab aliquo principio se ad res ita disponendas contulit,

com-

complexa rationes quasdam eorum quę essent futura, destinatisq; quibusdam facultatibus ex quibus nascerentur subiectę, mutationes, & successus eorum.

Gratiosius quidem erat, hominem mendacij, simulationis, luxus & superbie omnis inexpertum mori. Secunda (aiunt) nauigatio est, satietate horum affectum, antę migrare ę vita, quę illa vitia probare. Nondum ne te ne experientia quidem docuit, vt pestem fugias? Pestis enim est ea intellectus corruptio, longę magis, quę aeris quędam intemperies ista, & mutatio. Hęc enim animali pestis est, quatenus viuit illud: hęc hominum, qua ratione sunt homines.

Mortem non contemne, boni tamen consule: quippe rem ex ijs vnā, quas natura decreuit. Quale enim est iuuenescere, senescere, augere, vigere, dęres, barbam, canos ferre, liberos creare, vterum ferre, parere, reliquęq; naturales effectiones, quas tempora vitę adferunt: tale est etiam dissolui. Hominis itaq; ratione vrentis est, mortem neq; grauem, neque violentam, neq; contemnendam rem existimare: sed operiri eam, tanquam vnā ę naturalibus actionibus. Perinde

t

atq;

atque nunc expectas, quando foetus ex
utero tuæ vxoris edatur: ita expectanda
etiam hora, qua animula tua ex hoc re-
ceptaculo excidat. Quod si rude quidē,
sed tamen quod cor attingere possit, do-
cumentum accipis, omninò vt facile fe-
ras mortem efficiet, si cogites, quales
ij sint à quibus discedas, & à quorum
morum sit animus tuus separandus col-
luuie. Irasci quidem ijs qui tecum viuūt,
nequaquam debes: sed eorum curam ge-
rere, ijsq; placidum te præbere. Cogitan-
dum tamē tibi est, te ab hominibus non
idem tecum sentiētibus discedere. Hoc
enim vnum erat, quod poterat retinere
in vita, si fuisset homini datum viuere
cum ijs qui eadem sentirent. Nunc vides
quàm laboriosa sit inter vnà viuētes dis-
sensio, ita vt dicās: O' mors, veni celerit̃s,
ne quando ipse quoque mei ipsius obli-
uiscar. Qui peccat, sibi ipsi peccat: qui
iniustē agit, sibi ipsi iniustē agit: seq; ma-
lum efficiens ipsum, lædit. Sæpenume-
rò iniuriam facit is qui nihil agit, non is
modò qui agit.

Si adsit certa de rebus sententia, & a-
ctio societatem humanā spectans, & ani-
mus ita affectus vt boni consular omnia
quæ

quæ accidunt, quorum quod est à causa profectum: hæc si adsint, sufficiunt ad opinioniones tollendas, sistendum imperum animi, extinguendum appetitum, & habendum paratam apud sese partem principalem.

Vna vita brutis animantibus est distributa: vna mens, rationem adeptis. Quemadmodum vna est terrenorum terra, & vnā lucē videmus, vnum aërem trahimus, quæcunque videndi & viuendi vim habemus.

Quæ commune aliquid habent, contendunt ad id quod est eiusdem generis. Omne terrenum ad terram vergit, omne humidum confluit, itemq; aëreū, ita vt necesse sit vi ea diuelli. Ignis sursum effertur, propter elementarē ignem: omni vero hīc igni aliquid est paratū, vt inflammetur: ita vt omnis materia paulò ficcior facile ignem concipiat, quia minus est in eius temperie id quod inflammationem prohibeat. Itaque & omne id quod communis mentis est particeps, similiter ad cognatum suum contendit: atque etiam amplius. Quanto enim est alijs rebus præstantius, tanto & paratius vt commisceatur cum eo quod eiusdem

t 2 est

est generis. Itaque apud ipsa statim bruta inuenta sunt examina, greges, pullo-
rum educationes, atq; id genus quasi a-
mores. Anima enim iam in his est, id q;
quod ea in vnum conduceret, apud præ-
stantiorem partem reperitur: id quod in
plantis, lapidibus & lignis non inueni-
tur. At apud ratione prædita animalia, ci-
uitates sunt, & amicitie, & domus, & cõ-
cilia: inq; bello, pacta & induciæ. apud
præstantiora, etiam ex diuersis modis v-
nitio quædam constat: vt apud astra. A-
deò ascensus ad superiora consensum e-
tiam in deiunctis efficere potuit. Atqui
apud ea tantum quæ mentem habet, ob-
liuio murui studij & consensus reperi-
tur: & hic modò non videtur, quomodo
ad se inuicem affluant. Quanquam etiã-
si fugiant homines hãc coniunctionem,
tamen ab ea corripuntur, natura nimi-
rum præualente. Videbis autem id quod
dico, si animum aduertas. Facilius enim
inuenies terreum aliquid nulli terreno
adiunctum, quàm hominem ab homini-
bus auulsum.

Fructum fert & homo, & deus, & mun-
dus, suo vnumquodq; tempore. quòd si
consuetum est in vite, vt suum fructum,
nullum

nullum communem ferat: tamen ratio fructum fert & communem & propriū, nascunturq; ex eo alia quædam eiūmodi, qualis est ratio.

Peccat aliquis. Si potes, melius illum doce: sin verò, memineris mansuetudinem tibi propterea datā. nam & ipsi dii illis sunt clementes, qui & nonnullis ad consequēdam sanitatem diuitias, & gloriam, auxilium ferunt: adeò sunt benigni. Id & tibi licet, neque impedit quisquam.

Labora non vt miser, neq; vt qui vel misericordiam, vel laudem consequi studeas: id vnum tibi sit propositum, agere secundum ciuilem rationem.

Hodie omni me periculo exemi, imò verò omnia quæ videbantur mala eieci: nihil enim extrà erat, sed omnia intus in opinione mea.

Omnia hæc quæ in caducis sunt, familiaria iam mihi fecit experientia: duratione autem sunt diurna, materia sordida: omnia talia, qualia erant etiam apud illos quos sepeliuimus.

Res ipsæ extra fores stant: nihil ipsæ de seipsis norunt, neque pronunciant. Quid igitur de ijs pronūciat? ratio. Neq;

id persuasione, sed actione distinguit bonum & malum ciuilis animalis ratione præditi: sic vt neq; virtus neq; vitium in persuasione, sed actione.

Lapidi in altum coniecto nihil mali accidit, si decidat: neque bonum, quod in sublime effertur.

Introspecte eorum animos, & videbis quos iudices timeas, & vt hi seiplos iudicent.

* Omnia sunt in mutatione: ac tu ipse quoque in perpetua alteratione, ac quodammodo corruptione. Quin & totus mundus. Alterius peccatum ibi est relinquendum, vt sit actionis defectus, appetitus, opinionis quies, ac quasi mors. nihil mali.

Transi nunc ad ætates, vt puericiam, adolescentiam, iuuentutem, senectam: horum omnium mutatio est mors. nunquid mali? Transi deinde ad vitam sub auctore, sub matre, sub patre: quin etiam alias multas mutationes & fines inuenies: quære ex teipso, an quid mali sit? Ad eundem modum est etiam totius tuę vitę finis, quies, ac mutatio.

Perpende mentem tuam, vniuersi, ac proximi: tuam, vt eam iustam reddas: vniuersi,

niuerſi, vt recordere cuius pars ſis: proximi, vt videas ſit'ne in ea ignoratio, an verò intellectus. Simul intelliges, te factū ad explēdum ciuile corpus: atq; ita omnem actionem tuam facere ad vitam ciuilem complendam. Erenim quæcūque tua actio non ad ſocietatem humanam, tanquam finem vel propinquum vel remotum refertur, illa verò vitam interpolat, & vnitatem eius ſoluit, turbasq; ciet: ſicut in populo cū plebs ſeceſſionem facit.* Ab hac concordantia. Puerorum iræ, ludicra, ſpiritus qui cadauera geſtant: vt eo efficacius accidat id quod eſt in Necya.

Vade ad qualitatem cauſæ, eamque à materia ſecretam conſidera: tum, quàm diu permanere omnino poſſit ea propria qualitas.

Paſſus es innumera, eo quòd non contentus fuiſti tua mente agere ea, ad quæ erat facta. Sed hæc ſatis.

Cùm te alius reprehendit, aut odit, aut aliquid tale pronunciat, aſpice eorū animulas: intra, & vide quales ſint. Cernes nihil eſſe tibi laborādum, vt hoc vel illud ij de te iudicent. Bene quidē ijs velle debes: natura enim amici ſunt, eosque

dij omni ratione iuuant, per in somnia, vaticinia. Hæc quidem de quibus ij cerant, circulus sunt rerum mundanarum, quæ sursum deorsumq; ab vno æuo in alterum voluuntur.

Aut ad singulas res vniuersi intellectus se applicat, quod si est ita: id, quod ea se applicat, approba. Aut semel tantum impetum fecit ipsa mens, reliqua omnia consequenter fiunt. * Et quid vnum alicui? Quodam enim modo atomi.

Omnino autem, siue Deus sit, rectè omnia habent: siue temerè sunt omnia, nunquid & tu?

Iam nos omnes terra occultabit: post ipsa quoq; mutabitur, & res deinde aliæ item in infinitum mutabuntur. Enimvero qui fluctus mutationum & motuum considerabit, earumq; celeritatem, is omnia mortalia cõtemnet. Torrentis instar causa vniuersi rapit omnia, Iam ipsa ista ciuilia, quàm sunt vilia? & quàm videntur homunciones isti philosophicè agentes, pleni esse muci? Quid faciendum? quod nunc natura poscit, eò contende, si liceat: neq; cura, an sit aliquis mortalium hoc cogniturus. Neq; Platonis rempub. spera: sed contentus esto, si
vel

vel minimum procedat: huncque ipsum
 successum cogita, quàm non sit exiguus.
 Mutat aliquis illorum suum placitum?
 atqui sine horum mutatione quid est,
 quàm seruitus gementium, & persuasos
 se esse simulantium? Vade nunc, & A-
 lexandrum, & Philippum, & Demetriũ
 Phalereum mihi dic. Viderint, an scierint
 quid communis voluerit natura, & an
 se ipsos sub disciplina tenuerint, Quòd si
 tragicè tantùm sese ostentarunt, nemo
 me damnauit, vt cogar eos imitari. Opus
 philosophiæ simplex est, & verecũdum.
 Noli me adducere ad fastum, qui præ se
 ferat grauitatem.

Supernè contemplari infinita armen-
 ta, sacrificia, omnis generis diuitias, in tẽ
 pestatibus & serenitate: quæ facta sunt,
 cum ijs nata, quæ item decesserunt.

Confidera etiam vitam eorum qui an-
 te te, & qui post te viuent: horum etiam,
 qui hodie apud Barbaros viuunt: quàm
 multi eorum ne nomen quidem tuum
 sciant, multi statim obliuiscuntur: multi
 cum te nunc laudent, statim sunt culpa-
 ruri. Deniq; quàm res nullius momẽti
 sit memoria, aut gloria, aut aliquid tale.

Vacuitas perturbationum in his quæ

ab extrinseca causa accidunt, iusticia in ijs quarum actionum tu es causa: hoc est, impetus animi, & actio, quæ finem habeat societatem humanam: id enim est tuæ naturæ consentaneum.

Multa superuacanea ex his quæ te perturbant, præcidere potes, quæ tota in tua sunt opinione sita, multumq; laxitatis et spacij tibi acquirere.

Totum mundū animo concipe, tuūq; æuum perpende, tum celerem singularū rerum mutationē: breue scilicet esse tempus ab ortu ad interitum: id verò quod hunc sequitur, idq; quod illum præcessit, infinitum. Omnia quæ vides, celerrimè interibunt: & hi qui eorum interitum vident, ipsi quoq; mox peribunt. Qui decrepita senectæ moritur, idem feret cū eo qui immatura morte cadit.

Quæ nam sunt eorum mentes, quibus rebus student, quæ habent in honore, quæ amant? iudica te nudas ipsorum intueri animas. Cum vituperando obesse, aut prodesse laudando se putant, quæ est illa opinio?

Amissio vitæ nihil est aliud quàm mutatio: hac autem delectatur natura vniuersi, secundum quam omnia fiunt rectè.

et. Ab æterno res eiusdem formæ natæ sunt, sicq; erit in infinitum. Quid ergo dicis omnia facta, & futura malè. Ergo nullus inter tot deos repertus est, qui ea corrigeret: sed damnatus est mundus, ut perpetuis malis conflicaretur.

Vide quàm putris sit omniũ rerum materia: aqua, puluis, ossicula, fœtor: rursus calli terræ, marmora: fæces, aurum & argentum: crines vestis, sanguis purpura: omnia reliqua eiusdem modi. Etiam quæ spiritu constant, alio modo ralia, atq; ex his in hæc mutantur.

Satis miseræ vitæ est, & murmuris, & imitationis. Quid perturbaris? quid in his noui? Quid terret te? num forma? aspice eam. num materia? aspice illam. Extra hæc nihil est. Quin & iâ erga deos simplicior & melior es factus.

Idem est, siue tribus hæc, siue centum annis discas.

Si peccauit, malum apud ipsum est: fortassis autem non peccauit.

Aut ab vna aliqua mente tanquam fonte omnia progrediuntur, quæ corporibus accidunt: proinde pars non debet euentis totius succensere. Aut atomi sunt omnia, confusio, & dissipatio: quid

quid ergo perturbaris? Menti tuæ dicis: Mortuus es? perijsti, efferatus es, simulas, es in cœtu, aleris?

Aut nihil possunt dij, aut aliquid. Si nihil, cur comprecaris eos? Sin possunt, cur non magis etiam petis vt dent tibi, ne quid horum meruas, aut expetas: neque magis doleas si absit, quàm si adsit. Omnino enim si possunt adiuuare ij homines, etiam in hoc poterunt. Fortè dicces: Deus ea in mea posuit potestate. Esto. Nónne ergo præstat, te ijs quæ in tua sunt potestate, vti liberè, quàm de ijs quæ non sunt in tua manu posita, sollicitum esse, animo seruili & abiecto. Quis autem tibi dixit, deos non in his etiam quæ penes nos sunt, auxilium adferre? Incipe ergo precari de his, & videbis. Precatur alius, vt cum aliqua cubet: tu pete, ne eius rei appetitus tibi oriatur. Alius petit, vt certa re leuetur: tu, ne ea leuari tibi opus sit. Alius, ne amittat filium: tu, ne id ipsum meruas. Omnino ad hunc modum vota concipe, & quid sit futurum vide.

Epicurus ait, sibi, cum ægrotaret, nulla fuisse de corporis affectione cum suis colloquia: sed de causis rerum naturalium

lium præcedentibus disputatum continenter. Ei rei se intentum, mētem habuif se perturbationum vacuam, vt quæ mortuum corpusculi nullam partem acciperet, suum bonum custodiens: ideoque se ne medicum quidem, qui applicaret pharmaca, adhibuisse, sed vitam bene habuisse. Tu quod is in morbo potuit, hoc, si quid alterius rei incidat, observa. Vt enim non desistere à philosophia propter quæuis negocia, neq; cum quouis vulgari homine nugari, omnibus sectis est commune: sic in omni actione ei est incumbendum soli, quod propositum est: instrumentoq; , quo ad id vtimur.

Si cuius impudētia offenderis, statim percontrare te ipsum, an possit fieri, vt nulli sint in mundo impudentes. non potest autem hoc fieri: ne igitur postula id quod fieri nequit: est enim iste quoque vnus ex impudentibus ijs, quos esse in mundo oportet. Idem de versuto, infideli, omni deniq; quocunque modo vitioso in promptu sit tibi cogitare. Nam si recorderis, necessariò id genus hominum esse, singulis æquiores te præbebis. Id quoq; vtile est, statim cogitare, quàm homini natura virtutem contra id peccatum,

rum dederit. Remedium enim tribuit, contra ingratos mansuetudinem: contra aliud vitium, aliud auxilium. Omnino autem licet tibi in viam reducere eum qui errauit, nam omnis qui peccat, eo errat, quod à proposito aberrat. Denique quid inde tibi damni allatum est. Inuenies quidem nullum eorum quibus irascaris, tale quippiam fecisse, quo mens tua sit futura deterior: atqui in hoc unico situm erat, ut malum tibi atque damnum accideret. Quid verò malum aut nouum accidit, si indoctus homo agit suo modo? vide, ne tu tibi ipse potius sis repræhendendus: qui non præsenferis fore, ut is ita peccaret. Etenim ansam tibi omnino præbuit ut cogitares, consentaneum esse ut is ita peccaret. Ac tamen eius oblitus, miraris eum deliquisse? Maxime verò, si cui infidelitatis vel ingritudinis causa succenses, intra te conuertere. Proculdubio enim à te peccatum est, si eum ita affectum iudicauisti fidem seruaturum: aut si beneficium conferens, non eo contentus fuisti quod dederis, neque fructum te ipsa ex actione capere cogitauisti. Quid enim aliud requiris, cum homini bene facis? Non tibi fa-

bi satis est, te tuæ naturæ cōuenienter e-
gisse: sed & mercedem insuper deside-
ras? perinde ac si mercedem oculus po-
scaat, quia viderit: aut pedes, propter gres-
sus. Quemadmodum enim hæc ad cer-
tum finem facta sunt, ita vt secundū suā
cōstitutionē atq; naturam si egerint, suū
finem adepta sciamus: ita homo ad be-
neficientiam natus, si quid beneficij con-
tulerit, aut aliud quid egerit, quod so-
cietati humanæ conducatur, fecit id cuius
gratia est factus: cōsecutusq; est id, quod
ad eum pertinebat.

M. ANTONINI IM.

peratoris de Vita sua Liber X.

ERis aliquando, ô anima, bona, sim-
plex, vnica, & nuda, splendidior
corpore tibi circumiecto. Gusta-
bis olim amoris affectum: plena eris,
nullius indigens, nihil desiderans ne-
que animati neque inanimi ad fruitio-
nes voluptatum: neq; tempus requirens
quo diutius fruire, neq; locum, regionē,
aut aeris commoditatem, neque homi-
num conuenientiam. sed contenta eris
præsenti statu, delectaberis omnib. quæ
erunt

erunt in promptu: tibiq; ipsi persuadebis, omnia tibi adesse, omnia tua rectè habere, omnia à dijs tibi allata: probabis quæcunq; ijs probabūtur, ac quæ tibi ad perfecti animalis salutem dabunt: quod bonum est, iustum, honestum, omnia generat atq; continet & amplectitur: quæ dissoluuntur eò, vt alia ex ipsis existāt. Eris aliquando talis, vt ita cum Deo & hominibus viuas, vt ne quid in ijs repræhendas, neq; ab illis dāneris. Obserua quid natura tua requirat, quippe qui tantum à natura gubernaris: id deinde fac & admitte, nisi tua natura, qua animal es, eò fiat deterior. Secundo lōco animaduertēdum est, quid animalis natura quæ in te est, requirat: idq; omne omittendū est, nisi deterius sit habitura ea natura, ob quam rationis particeps diceris: nempe ciuilis, & rationalis. His vsus regulis, nihil ages superuacaneum.

Omne quod tibi euenit, aut ita euenit vt tu laturus es, aut secus. Si eo modo quo tu id ferre potes, nō fer ægrè, sed vt natura tua te docet: sin contrā, noli tamen indignari. etenim ipsum peribit, vbi te absumserit. Enimuerò memento eam esse tuam naturam, vt omnia feras ea, quæ

ea, quæ an intolerabilia iudicare velis necne, in tua est situm potestate, secundum visâ, qua id tibi prodesse aut conuenire ducis.

Si quis errat, docere illum debes benignè, & ostendere quid non animaduertit. Si id nescis, te ipsum accusa: imò ne te ipsum quidem.

Quidquid tibi euenit, id omne ab æterno tibi destinatum est, atq; à connexu causarū fataliter tributum. Nam & quod tu es, & quæ tibi eueniunt, ab æterno dependent.

Siue ex impartilibus corpusculis, siue naturâ mundus constat: id primùm constat, esse te partem totius quòd à natura gubernatur: deinde, coniunctionem tibi quandam esse cum eiusdem generis partibus. Horum memor, quatenus partem me esse totius sentio, nihil ægrè feram eorum quæ à toto mihi tribuuntur. Parti enim nihil potest nocere, quod toti prodest. At totū nihil habet, quod non ipsi proficit. Idq; cum omnib. est commune naturis, tum Vniuersi naturæ hoc accedit, quod ne ab vlla quidem extrinseca causa potest cogi, vt aliquid sibi damnosum producat. Quatenus verò mihi

u cogn-

cognatio quædam est cum partibus quæ sunt eiusdem generis, nihil agam quod non respiciat communitatem: imò semper ad communem vtilitatem dirigam meas actiones, & à contrario auertam. His ita cōstitutis, necesse est vitam prosperos habere successus: sicut & ciuis vitam prosperam intelligeres, procedentis per actiones ciuibz vtilis, bonique consulentis quæcunque ei ciuitas tribueret.

Omnes partes mundi interire necessarium est: hoc est, alterari. Quod si hoc etiam malum ipsis sit, nōne vniuersum malè possit perdurare, partibus ad interitum & alterationem cōparatis? Vtrum enim natura instituit suas partes malè afficere, maloq; obnoxias, & quidem necessariò, efficere? aut per imprudentiam hoc admisit? Vtrunq; quidem non est veri simile. Quinetiam ratione naturæ ommissa, ipsarum rerum naturā si quis consideret, itidem ridiculum erit hoc. Simul enim, dicere, quod mundi partes à natura factę sint ad mutationes, & earum mutationes quasi contra naturam euenientes mirari aut indignè ferre, absurdum sit: præsertim cum singula ex quibus sunt
con-

conflata, in ea etiam dissoluantur. Aut enim discretio fit elementorum, ex quibus concretæ sunt res: aut mutatio, solidi quidem in terrâ, aëri autem in aërem: ita vt hæc quoq; assumatur in rationem vniuersi, siue hoc certis conuersionibus inflammabitur, siue perpetuis vicibus renouatur. Solidas autem & aëreas partes non opinare ab ortu te habere: omnia ista heri & nudiustertius ex alimento & inspirato aëre affluxerunt: hæcque mutantur, non id quod ex vtero matris attulisti. *Pone autem, hoc te admodum adiungere propriæ qualitati: nihil reuera, puro, ad id quod dicitur.

Cùm sumseris tibi ipsi nomina hæc, bonus, verecundus, verax, intelligens, prudens, alti animi: caue ne quando ista nomina amittas, alijsque ea mutes. Celeriter ea animo repere: ac recordare, nomine intelligentis indicari scientiam de singulis rebus percipiendi, & eum qui cogitationibus alienis non occupetur: prudentis verò, voluntariâ approbationem eorum quæ communis natura tribuerit altitudine animi, mētis intentionem & sublimitatem, supra leues & duros motus carnis, gloriam, mortem, aliasq;

res elatæ. Si igitur te ipsum dignum his nominibus præstiteris, non id appetens ut ab alijs ita appelleris, alijs eris, aliâque ingredieris vitam. Nam talem te porro esse, qualis hætenus fuisti (hoc est, in hac vita raptari & inquinari) nimis stupidi est hominis, & vitam amantis, similisq; eorum qui in pugna aduersus feras semesi sunt. hi enim pleni vulnerum & tibi, tamé hortantur ut in crastinum feruentur, tales iterum pugnaturi aduersus eosdem vngues & dêtes. Itaq; te paucis istis nominibus accommoda, ac si qui dê possis, ea tuere, perinde atq; si in insulas quasdam fortunatas commigrasses. Sin te inferiorem ijs esse sentis, secede audacter in angulum aliquem, ut ibi victoriam obtineas: aut omnino è vita abi, nō iratus, sed simplici & libero animo, atq; verecundo, cum id vnum in vita egeris, ut eo modo discedas. Ut autem memoriam illorum nominum retineas, haud exiguum tibi adferet adiumentum, si recorderis deorum, atq; eos nolle se adulari: sed hoc velle, ut ratione prædita animalia, ipsorum quàm similima efficiantur.

Ficus, canis, apis, suum quoduis officium

cium facit: idem est & hominis partium. Pestis, bellū, terror, stupor, seruitus: hæc quotidie delebunt sacra illa tua placita, quæ è contemplatione naturæ rerum hausta circumfers. Omnia autem ita sunt inspicenda & agenda, ut & circumstantijs simul satisfiat, & cognitio in actionem vertatur, serueturq; animi constantia ex earum scientia accepta, latens, non * abscondita. Aliquando capies fructum simplicitatis, aliquando grauitatis, aliquando cognitionis singularum rerum. Quæ nimirum sit eius natura, quis in mundo locus, quandiu ferat eius natura ut dureret, quibus ex rebus conflata sit, quis eam possit possidere, quis dare aut adimere.

Aranea, si muscam ceperit, exultat: alius, si leporem, aut pisciculum, aut suæ, aut vrsū, aut Sarmatas. nōne hi sunt prædones? Si opiniones examines, quomodo vnum in alterum transmutetur, viam ac rationem contemplandi parabis. Continenter autem huc animū aduerte, teq; huic parti adsuefac: nihil est enim quod perinde animum magnū efficiat. Corpus enim exue, intelligensq; iam iam te ex hominibus discedentem ista omnia deserturum, totum te ipsum

da iusticiæ in actionibus tuis seruandæ. In reliquis quæ eueniunt, rerum naturæ totum te committe: quid alij vel sentiâr de te, vel agant contra te, ne ad mentem quidem tibi tuam accidar.

Duob. his contentus esto, vt & iustè agas in præsentia: & id quod nûc tibi obtrigit, boni consulas. Omnes alias occupationes, omnia studia missa fac; huic modo intèrus, vt rectà secûdû legē ingrediaris, Deû sequens, rectavia ingredientem.

Quis sit vsus suspicionis? cùm licet deliberare quid sit agendum. Si quid agendum sit, videasque id esse ex vsu, firmiter eò procedendum. Sin id non intelligis, inhibenda actio, & optimis vtendum consiliarijs. Quòd si alia his aduersa occurrant, progrediendum est iuxta præsentès occasiones, animo ei quod iustum videtur intento. Optimû enim est, eum attingere scopû: à quo qui aberrat.*

Quietus simul, & ad motus facilis, simul & lætus, & constans est is, qui rationem vbique sequitur ducem.

Interroga ex teipso statim à somno expergefactus, num tua intersit, si quæ iusta sunt, & rectè habent, in aliorum sint potestate? Nihil interest.

Nunquid

Nunquid oblitus es, illi qui aliorum sermonibus & laudibus se iactant, quales in lecto sint, quales in mensa? quid agant, quæ fugiant, quæ consecretentur? quæ furentur, quæ rapiant? non quidem manibus & pedibus, sed preciosissima ipsorum parte, qua acquiri potest (si quis velit) fides, verecundia, veritas, lex, bonus genius.

Omnia danti & recipiēti Naturę probè institutus & verecūdus dicit: Da quicquid vis, aufer quicquid vis. Neque hoc aduersus eam ferociens dicit: sed ei obediens, eamque probans.

Vitæ exigua restat pars: viue tanquam in mōte. Nihil enim refert, hic ne sis, vel illic: modò scias, te ubiq; in mundo, tanquam in vrbe esse.

Videant, inquirent hominem homines, verum, ac secundum naturam viuentem. Si non ferunt eum, occidāt: præstat enim hoc, quàm illo modo viuere.

Non iam præterea tibi disputandum est, qualisnam sit vir bonus: sed curandum, vt sis vir bonus.

Subinde tibi ante oculos pone æuum totum, & vniuersam naturam: cogita, vt res singulæ, ratione substantiæ, seminis

sint: sicorum, temporis, terebri conuersio: idq; de singulis rebus indaga, quemadmodum cæ iam dissoluantur, sintq; in mutatione, ac quasi putrefactione & dissipatione: vt vnumquodq; suam veluti mortem habeat. Qui sunt illi qui nunc comedunt, dormiunt, coeunt, ventrem purgant? tum qui imperant alijs, superbunt, indignantur, inferiores increpant? quibus illi paulo antè seruierunt, & quibus de causis? qui erunt paulò post?

Vnicuiq; id prodest, quod natura vniuersi fert: atque eo quidem tempore, quo ea fert. Expetit quidem pluuiam terra: expetit autem venerandus æther, cū est repletus nubibus, in terram decidere. ita & mundus id agere cupit, quod fit: dico itaq; mundo, me vnà amare. Itaque & hoc fit, & dicitur fieri, quod mundus vult ita fieri. Aut hic viuis, & te adsuefecisti: aut aliò te confers, & hoc voluisti: aut defunctus tuo munere, moreris. Nihil est præter hæc: Bono ergo es animo.

* Semper sit euidens, hoc esse agrum: & quomodo omnia sunt hic ijs qui in summo sunt monte, aut in littore, aut vbiuis. Omnino enim inuenies Platonis illud, stabulo in mōte abditus: & iacere iactus.

Quid

Quid est mens mea? ad quid nunc ea
utor? Est ne aliquid mentis vacuum? est
ne aliquid à communitate diuulsum?
num affixum & admixtum carni, vt il-
lud vnà mutetur?

Qui dominum suum fugit, fugitiuus
est. Lex autem dominus est. Ergo qui
contra legem agit, fugitiuus est. At dolo-
rem aliquis, iram aut merum concipit,
propter aliquid eorum quod factum est,
vel fit, vel fiet secundum voluntatē eius
qui Vniuersum gubernat. Hic verò lex
est, tribuens suum vnicuiq;. Ergo qui
hoc modo timet, dolet, aut irascitur, fugi-
tiuus est. Pater, semine in vterum ma-
tris dimisso abiit. Inde succedēs alia cau-
sa agit, & absoluit fatum. animaduerten-
dum est, ex quo quid efficiatur. Rursus,
cibus per fauces dimittitur: deinde alia
causa succedens, sensum, appetitum, vi-
ram, robur, omniaq; ista alia efficit. Itaq;
ea quæ in tanta occultatione sunt, con-
sideranda sunt: facultasq; ita perspiciē-
da est, vt & eam quæ deorsum, & eam
quæ sursum vergit videmus, non ocu-
lis quidem corporeis, sed haud minus
ramen perspicuē.

Afsiduò considerandum est, quomo-

do omnia hæc sint, qualia fuerint, ac sint futura: & ante oculos ponendæ totæ fabulæ atq; scenæ earundem in speciem rerum, quas vel experientia vidisti, vel ex antiqua historia cognouisti: vt, aulam Adriani, totam Antonini aulam, totam Philippi aulam, Alexandri, Cræsi. Omnia enim hæc, talia erant.

Tantum per alios animo tibi finge eū, qui alicuius rei causa dolet aut indignatur, similem esse procello qui mactatur, & calcitrat atque grunnit. Similis etiam ei qui gemit in lectulo solus tacitè alligationem nostram: & quod soli animali ratione prædito datum est, vt rebus quæ eueniunt sponte obsequatur. Omnino autē sequi eas omnibus est necessarium. In singulis rebus quærere ex te ipso debes, sit ne mors mala, propterea quòd ea re te sit spoliatura.

Cum alicuius offenderis peccato, statim ad te reuertere, ac cogita qua in simili re tu pecces: vt, Quòd argentum, voluptatē, gloriolam in bonis ducas, iteq; alia. Id iram mox obliuione delebit. Accedat autem & hoc, vt eum inuitum peccare scias. Quid verò faceret coactus? Tu, si potes, effice ne cogatur.

Cum

Cùm Satyronem vides, Socraticum tibi fingè conspectum dari: cùm Eurychē, Hymenem, vel Euphratem cernis, Eurychionem, Syluanum, Alciphronem, vel trophæiferum imaginare: Xenophontem viso, Critonem aut Seuerum: deniq; singulis aliquem priorum certa ratione similem oppone. Simul verò tibi ad animum accidat, Vbi nam sunt illi? nusquam, aut vbicunq;. Ita nunquam non cernes, res humanas fumum esse, & vanitatem. Maximè si recorderis, id quod semel mutatum est, nihil fore in infinito tempore. Tu autem in quo tempore es? aut qui non sufficit tibi, breue hoc honestè exigere? quam materiam, quod subiectum fugis? Quid enim sunt hæc omnia, nisi exercitia rationis, quæ accuratè perspexit naturam earum quæ in vita occurrunt rerum? Perdura igitur, dum eas res tibi familiares reddas: quemadmodum validus ventriculus omnia sibi efficit familiaria: & ignis splendidus, quidquid ei iniicias, flammâ ex eo & fulgorem edit. Nulli liceat verè dicere, non esse te simplicè & bonū: sed mētiatur, quicumq; hoc de te sentit. Id verò omne penes te est: quis enim prohibeat, ne sis bonus & simplex?

simplex? Tibi modo steter sententia, non vivere, nisi talis sis: neque enim patitur ratio te, nisi talem.

Quid sit, quod possit de proposita materia rectissimè dici, vel agi, considera: quicquid erit, facere tibi vel dicere licet, nemine obstante: neque prætende, te impediri. Neq; prius desine sollicitudinem, quàm ira sis affectus, ut quod voluptuarijs sunt deliciae, id tibi sit actio in subiecta & oblata materia, humanæ constitutioni consentanea. Omne enim id quod licet tibi agere secundum naturam, pro voluptate habendum est: licet autem ubiq;. Nam cylindro quidem non datur, ut quovis loco feratur suo proprio motu: ut neq; aquæ, neq; igni, neq; alijs quæ à natura aut anima rationis experte reguntur. multa enim sunt quæ obstat eis, & intercipient. Mens autem, siue ratio, per omnia quæ resistunt pergere potest, secundum suam naturam & voluntatem. Hanc facultatem ante oculos tuos ponens, quod mens per omnia possit ferri, sicut ignis sursum, lapis deorsum, cylindrus per declivem: nihil præterea require. Reliqua impedimenta aut corporei sunt cadaueris: aut præter opinionem, ipsiusq;
mentis

mentis remissionem non lædunt, neque vllum afferunt malum. alioquin is qui impediretur, malus confestim fieret. Nā reliquæ res omnes ita sunt comparatæ, vt si quid eis mali accidat, statim deteriores fiant. At hîc, si omnino dicendum est, melior etiam sit homo, maioriq; dignus laude, si rectè vtatur ijs quæ occurrunt. Omnino autem memoria tenendum est, ei qui natura ciuis est, nihil posse nocu-menti accidere, quod non idem ciuitati noceat. Atqui huic nihil nocet, nisi quod obsit legi. Eorum verò quæ incommoda aut infortunia vocât, nihil legi officit: ergo neq; ciuitati, neq; ciui.

Qui morsus est à veris dogmatibus, ei ad recordationem vacuitatis dolorum & merus sufficiet vel minimum. quale illud:

Sternit humi ventus folia.——

Haud aliter genus humanum.——

Foliorum verò rationem obtinent & liberi tui, & ij homines qui acclamant & collaudant ita vt fidem mereri videâ-
tur: aut contrà execrantur, aut tacitè re-
præhendunt & subsannât. Foliorum ra-
tionem obtinent & hi, qui famam po-
steritatis excipient. Hæc enim omnia na-
scuntur

scuntur tempore veris: pòst animus ea deiicit: inde alia ipsorum in locum sylua producit. Breuitas verò temporis omnibus est còmunis. Tu autem omnia perinde, atque æterna fugis aut appetis, paulo pòst moriturus: & eum qui te effe-
ret, alius lugebit.

Sani oculi est, omnia visilia cernere, & non viridia tantum velle: quod faciunt ij, qui vitio aliquo oculorum laborant. Idem de sano auditu & olfactu sentiendum, vtriq; omnia sui generis sensilia esse promptè appræhendenda: qua ratione etiam ventriculus ad omne alimè-
tum paratus debet esse, instar molæ, quæ ad quæcunque molenda parata est. Proinde & mens sana, parata debet esse ad omnia quæ occurrunt. Sed ea quæ hoc tantum curat, vt liberi sint salui, vr' ab omnibus laudentur eius actiones, oculo similis est, viridia, aut denti, tenuia tantum volenti.

Nemo est adeò felix, cui mortuo non sint adstituri quidam, qui malum quod ei obtigisse putatur, haud malè sint consulturi: probus, dicent, & sapiens erat, nonne ad extremum aliquis dicet secū: Et ipse aliquando respirabo ab hoc pæ-
dago-

dagogo ? Nulli quidem nostrum erat grauis, sed sensi tamen clam nos ab eo sperni. Hæc de bono viro dicuntur. Nobis quàm multa sunt alia, propter quæ multi sunt qui liberari à nobis cupiant. Hæc moriens si cogites, eo facilius discedes hinc: reputans, te ex ea vita abire, ex qua ij ipsi qui eius sunt participes, quorum gratia tanta certamina sustinui, precatus sum, procuraui, me volunt migrare, fortasse aliquid mea morte allevationis sperantes. Quid est cur diutius hic morari quæras ? Nihilominus benignus illis discede, morem tuum seruans, amicus, beneuolus, propitius: neque ut is qui abripiatur, sed qui bene moritur, animula facile se soluentem è corpusculo. Eo modo & ab his discedendum est, quibus nos natura accommodauit & miscuit. Dissoluit nunc? dissoluor, & à familiaribus abducor, non reluctans, non vim patiens. est enim & hoc vnum eorum, quæ fiunt secundum naturam.

Asuesce, ut in omni re teipsum perconteris: Heus tu, quorsum hoc refertur? A teipso fac initium, teque primo examina. Memento, facultatem motricem
corpo-

corporis intus latere. Hæc est facundia, hæc vita, hoc est (vt ita dicam) homo.

Nunquam circumiecta vasa animo tibi propone, & instrumenta hæc tibi afficta: similia enim sunt dolabræ. eo tantum differentiâ, quod adnata sunt. Alioquin sine causa, quæ ea mouet & continet, haud maiori sunt vsui, quàm radius texitrici, calamus scriptori, flagellum aurigæ.

M. A N T O N I N I I M P E

ratoris de vita sua Liber XI.

HÆC propria sunt animi ratione præditi: Seipsum videt, seipsum componit: seipsum talem, qualem vult, efficit: fructus, quos fert, ipse percipit: (etenim plantarum fructus, atq; etiam animalium, alij percipiunt) suum finem consequitur, quicumq; vitæ sit terminus: non vt in saltatione, & agendis fabulis, alijsq; id genus rebus fit, vt si quid offendatur, tota actio fiat irrita: sed is animus omni in parte, vbicumq; deprehendatur, id quod oblatum est, perfectum & nullius

lius rei indigū reddit: ita vt dicere possit, se suum habere. Complectitur præterea totum mundum, eiq; inane circumdatum, figuram eius, infinitatem æui, certis conuersionibus constantem regenerationem vniuersarum rerum contempletur. Inde cognoscit, neq; nouum aliquid posteris euenturum: neque eos qui ante nos fuere, quicquam amplius nobis vidisse: sed quòd is qui est quadraginta annorum, si mente vtatur, ferè omnia præterita & futura videt in rebus eiusdem formæ. Hęc quoque ei sunt propria, amor proximi, veritas, verecundia, vt nihil seipsa præstantius ducat: quod quidem ei cum lege est commune, ita vt nihil intersit inter rectam rationem, & rationem iusticiæ.

Cantilenam iucundam, saltationem, & pancratium contemnes, si vocem suauè sonantem diuidas in singulos sonos, atq; seorsim de singulis ex te ipso quæras, an ab eo patiare vinci: pudore profectò afficeris. Idem de reliquis suo modo intellige. Denique in omnibus illis quæ nō sunt virtus, nec à virtute proficiuntur, memento ad partes eorum respicere, diuisioneq; illa in contemptum

x addu-

adducere: idque in vsum totius vitæ est transferendum.

Qualis est anima quæ parata sit, si iam debeat à corpore solui, & vel extingui, vel dissipari, vel cōstare. Vt autem sic parata sit, à peculiari iudicio venit: non vt simplici obstinatione mortē aliquis subeat (id quod Christiani faciunt) sed bene subductis rationibus, & cum grauitate, ita vt & alteri hoc sine verborum exaggeratione persuadere possis.

Egi aliquid ad societatem humanam conducens: ergo vtilitatem sum cōsecutus. Id semper occurrat, neq; vnquā desit. Quam tenes artē? Bonus esse. Quānā fit hoc ratione? Si contempler partim naturā vniuersi, partim hominis structuram.

Initiō tragiæ prolatæ sunt, quæ mōnerēt de ijs quæ accidere hominibus solent: eamq; esse rerum naturam, vt sic eueniant: atque vt quibus in scena delectabamini, ijsdem nihil offenderemini in maiore vitæ humanæ theatro. Videris quidem, quòd ita hæc debuerint perfici: quodq; ea ferunt etiam ij qui clamauerunt, Iō Cithæron. Et sanè quædam vtiliter à poëtis dicuntur, quale est illud in primis:

Quod

Quod si dii me negligunt, & liberos:

Rationem habet illud. — item:

Nam reb. irasci sanè nihil expedit. &

Frugiferam vti spicam meæ vitæ metam.

Aliaque id genus. Post tragœdiam, vetus comœdia illata est, libertatem disciplinæ accommodatam habens & eaque ipsa haud inutiliter nos monens, ne fastu extolleremur, cuius simile aliquid etiam Diogenes vsurpauit. Post has & media quædam comœdia, & ad extremum noua, assumptæ sunt, haud alium ob finem, quàm ad studium artis imitando ostentandæ. Dicit enim & ab his ipsis quædam vtilia, nō ignoratur: sed tota huius poëseos & fabularum scriptionis intentio quæmnâ finem respicit? Quomodo euidentis fit, non esse aliud vitæ propositum ita cōmodū ad philosophandū, ut est id quod nūc tenes? Ramus à proximo amputari ramo nō potest, quin & à tota arbore refecetur: sic homo etiā ab yno auulsus homine, nō potest, nō etiam à toto excidisse cœtu. Itaq; ramū quidē alius aliquis, homo seipsum à proximo separat, cū eum odit aut auersatur: ignorat verò, etiam à tota ciuili societate se eadem ratione abrumpi. Veruntamen

hoc habemus munere Iouis, qui hanc societatem constituit, ut rursus ad crescere proximo, & explere totum possimus. Et tamen si hæc auulsio sæpius admittatur, efficit, ut vniri iterum atq; coalescere haud facile possit id quod erat auulsum. tum verò, quòd fatentur plantatores, non eadē est ratio rami, qui ab initio floruit cum arbore, mansitq; in ea, & eius qui amputatus, rursus deinde est insitus.

2

Oportet igitur in eadem arbore esse, etsi non idem cum omnibus sentias.

Quiribi secundum rectam rationem procedenti impedimento sunt, ut auertere te à recta actione non possunt, ita neque tua erga ipsos beneuolentia depellant te: utrobiq; reipsum eundem serua, ut non modò in iudicando constantiam, & agēdo, sed & aduersus eos qui te prohibere conantur, aut aliàs indignantur, mansuetudinem tuearis. Haud enim minus infirmi est, illis irasci, quàm desistere ab actione, & concidere metu periculum. vtrunque est eius qui ordinem suū deserit: quòd alter metu facit, alter odio cognati sibi, & amici natura.

Nulla natura arte inferior est: quippe cum artes sint naturæ imitatrices. Quod si est,

fi est, vtiq; natura omniũ perfectissima, & omnia compræhendens, artium solertia nequaquam cedit.

Porro omnes artes, præstantiorũ gratia, faciunt viliora : ergo & communis natura. Atq; hic est ortus iusticiæ : ab hac reliquæ virtutes dependent. non enim constabit iusticia, si uel rebus suapte natura neq; bonis neque malis, nimium tribuamus : vel temerarij, vel errori procliues erimus.

Non veniunt ad te res eæ, quarum fuga vel appetitu perturbaris : sed tu quodam modo ad eas accedis. iudicium itaque de ijs quiescat, ita & ipsæ quiescent : & neq; sequeris eas, neq; fugies.

Animus globo similis est, figuræ equabilis, quando neq; effert se, neq; contrahit : sed lumine fulget, quo in omnibus rebus veritatem cernit, & in se quoque ipso.

Contemnor ab aliquo : viderit. ego curabo, ne quid contemtu dignum agam, aut loquar. Odit me aliquis : viderit. ego quidem omnibus sum placidus & beneuolus, atq; eo ipso promptus ad ostendendos alijs suos errores : neq; hoc exprobrandi causa, aut vt patientiam ostentē

meam, sed ingenuè & probè. Qualis erat Phocion: nisi si id ipsum simulauit. Intus enim omnia oportet rectè habere, & à dijs conspici hominem nullam rem indignè ferentem, aut quiritatē. Quid enim mihi mali accidit, si alius id agit, quod est naturæ tuæ commodum? Non accipies id quod nunc naturæ vniuersi est opportunum, cum sis homo eò destinatus, vt communi vtilitati inferuias.

Qui contemnunt se mutuò, iidem mutuò se demerentur: & qui mutuò de primatu contendunt, mutuò sibi concedunt.

Quàm putidus est, & falsus ille, qui dicit: Statui simpliciter tecum agere. Quid agis? non erat hoc præfari opus: ipsa res hoc ostendet. Statim ipso in vultu inscriptus debet esse sermo, ac statim ex ipsis oculis apparere: quemadmodum ex aspectu amatores sensum sui amari statim cognoscunt. Omnino vir bonus & simplex hircosi debet aliquid simile habere, vt qui ei adest, velit nolit, tamen eius simplicitatem deprehendat. Ostentatio autem simplicitatis, insidiæ sunt recte: neque verò quicquam turpius est

est subdolis ac infidis congressibus. Hoc omnium maximè fugito. Bonus, simplex & mansuetus vir, hæc omnia in oculis habet, neq; ea latent.

Rectissimè viuendi facultas est in tuo animo posita: nimirum vt res neque bonas neque malas, in nullo ponas discrimine. Id fiet, si vnam quamlibet earum contempleris diuissim, & ratione totius, memor nullam earum in animis nostris de se posse excitare opinionem, neque ad nos venire: sed ipsas quidem quiescere, nos autem esse qui de ijs iudicia faciamus apud nos, easque nobis quasi depingamus: cum liceat tamen aut omnino non depingere illas, aut si hoc omnino sit admissum, statim delere. Exigui temporis attentio hæc est, inde finis erit vitæ. Quid obstas, quo minus hæc rectè habeant? Quæ si sunt secundum naturam, gaude illis, & erunt facilia: sin cōtra naturam, quære quid sit tibi secundum naturam, adque id contende, etsi gloria careat. Ignoscendū est enim omni ei, qui suum quærit bonum.

Vide vnde venerint omnia, ex quibus constent, in quod mutantur, qualia sint inde futura: tum, nihil mali eis accidere.

x 4 Primum,

Primum, quis mihi ad eos respectus. Natis sumus inuicem, vnus alterius gratia. Alia autē ratione natus sum, vt ipſis præſim: ſicut aries gregi, aut taurus armento.

Rem altius repete. Si non conſtat mūdus ex atomis, vtiq; natura eum gubernat. Quod ſi detur, vtiq; deteriora præſtantiorum gratia ſunt: hæc verò, vnum propter alterum.

Deinde: quales illi ſunt in menſa, lecto, alibi? Maximè autē, quibus illi ſunt neceſſariò opinionibus addicti, & quanto cum faſtu agunt ſua.

Tertium eſt: Si rectè faciunt hæc, non eſt indignè ferendum: ſin ſecus, ac non ſpontè, ſed ignoratione peccant. Omnis enim anima inuita priuatur cū veritate, tum eo, vt poſſit cum vno quolibet, vt eſt dignum, viuere. Itaq; dolore afficiuntur, ſi iniuſti, ingrati, auari, omninoq; iniurij erga alios dicantur.

Quartum eſt: Ipſe quoq; in multis delinquis, eſq; ipſorum ſimilis: ac tamen ſi quibuſdam peccatis abſtines, tamen habitum ea faciendi habes: ac vel metus, vel gloriæ conſectandæ cauſa, aut aliud ob malum, abſtines ſimilibus peccatis.

Quin-

Quintum hoc quidē satis scis, an peccent. Quædam enim faro fiunt. Omnino autē multa experiri opus est, antè quàm certum aliquid de aliorum actionibus statuas.

Sextum: Vt maximè stomacheris, tamen vita hominum est momentanea, ac paulo pòst omnes morimur.

Septimum: Nò actiones ipsorum nobis molestiam exhibent, cùm eæ sint in ipsorum animis: sed nostræ opinioniones. Itaque tolle voluntatem iudicandi de re aliqua, tanquam mala? simul sustuleris iram. Quomodo, inquires, tollam? Si re putes, non esse rem turpem. Nam nisi sola turpirudo malum esset, tu quoq; necessariò multis modis peccares, fieresq; latro, & quid non?

Octauum: Multo grauiora adferunt dolor & ira, quam ob aliorum peccata concipimus, quàm ipsa illa, ob quæ irascimur & dolemus.

Nonum: Mansuetudo, si genuina sit, non adsciticia aut fucata, inuicta est.

Quid verò vel extremæ libidinis homo tibi faciet, si constanter mansuetudinem serues: ac si res ita ferat, placidè eum hor- teris ac doceas eo ipso tempore, vacans

huic rei tum, cùm is te lædere nititur? Si dicas: Noli fili, ad alias res nati sumus: ego quidem non lædar, sed tu. idq; ei ap-
 perrè & integrè ostendas, neq; apes, ne-
 que vllum aliud eorum quæ ad cœtum
 apra sunt naturà animalium, ita agere.

Oportet autem neque irridendi, neque
 conuiciandi causa hoc facere: sed aman-
 ter, atque ita vt ne cor mordeatur, nèue
 ocio abuti videaris, ac ne quis adstans
 miretur: sed vt cum solo, ita loqui de-
 bes, etiam si alij adsint. Horum nouem
 capitulorum memento, tanquam à Mu-
 sis si ea dono accepisses. Ac incipe tan-
 dem homo esse, dum viuis. Tam verò ca-
 uendum ne irascaris eis, quàm ne adule-
 ris: vtrunque enim à societate est alie-
 num, & damnosum. In promptu tibi sit,
 ira accedente: Non iram esse viri, sed
 māsuetudinem. id vt humanius, ira & vi-
 rilius est: requiritq; robur, neruos, & for-
 titudinem: quæ non sunt apud indignā-
 tes, & morosos. Nam quanto propinqui-
 or est mansuetudo vacuitati affectuum,
 tanto & potentia: ac quemadmodum
 dolor in impotentes cadit, sic & ira. vter
 que enim vulnus accepit, & herbam por-
 rexit. Quod si lubet, etiam decimum à
 duce

duce Musarum donum accipe: nempe, Insani esse velle ne prauī homines peccēt. qui enim hoc petit, id petit, quod fieri non potest. Alijs verò concedere vt sint mali, modò ne in te peccēt, malè sentientis est & tyranni.

Quatuor potissimùm motus animi continenter sunt obseruandi: ac, si eos depræhenderis, inhibendi. Primò, vt dicas, Hęc cogitatio non erat necessaria. Alterum, Hoc facit ad societatis dissolutionem. Tertium, Hoc non ex te dices: nam non à se dicere, inter absurdissima est reputandum. Quartum: Tibi ipsi exprobra, esse hoc eius qui diuiniore lui parte vincatur, & cedat ignobiliori & mortali parti, corpori scilicet, & eius crassis voluptatibus.

Aëreum, & omnes igneæ patriculæ quæ commistæ sunt tuo temperamento, etsi naturà sursum efferantur: tamen vt obediant ordini vniuersi, ab ipsa mixtione continentur. Similiter omne terreum in te, & humidum, cùm natura sua deorsum ferantur, tamen in sublimi manent, non in suo naturali loco. Adeò elementa vniuerso obtemperant, ac si quò destinantur per vim, manent, donec
disso-

dissolutionis rursum canat classicū. Nōne igitur iniquum sit, solam tuam rationem nolle obedire, suumq; locum indignè ferre? Et quidem nihil ei violentum imponitur : ea modò, quæ eius naturæ conueniunt. Et tamen ea non sustinet, sed in contrarium fertur. Motus enim ad iniusticiam, luxuriam, iram, dolores & metus, nihil aliud est quàm secessio à natura : & cùm animus aliquid eorum quæ eueniunt indignè fert, tunc quoque suum locum deserit. Etenim ad æqualitatem & pietatem constructus est, haud minus quàm ad iusticiā : quia & hæ species sunt virtutum, quibus bene defenditur societas humana ; imò etiam antiquiores ipsis iustis actionibus.

Qui non eundem per omnem vitam propositum habet scopum, is vnus & idē esse per totam vitam nequit. Non satis est id quod diximus, nisi & hoc addatur : qualem esse oporteat eum scopum. Quē admodum enim non est similis de bonis vtrunque plurium opinio, sed quæ est certorum quorundam communis : ita & scopus ciuilis, & communitatem respiciens, est statuendus. Ad hunc qui omnes suos animi imperus direxerit, omnes

mnes actiones similes reddet, eoq; modo semper sui erit similis.

Murem montanum, & domesticum, huiusq; pauorem & fugam.

Socrates vulgi quoque opiniones Lamias vocabat, puerorum terricula-
menta.

Lacedæmonij peregrinis sub vmbram sedem adsignabant in spectaculis, ipsi quouis loco sedebant.

Socrates Perdiccæ quærenti, cur non ad ipsum veniret, Respondit: Ne turpissimo interitu peream. hoc est, ne beneficio affectus, id non possim compensare.

In Ephesiorum litteris erat hoc præceptum, quod iubebat Quotidie reminisci alicuius ex antiquis, qui virtutem coluissent.

Pythagorei manè nos cælum aspiceri iubebant, vt recordaremur eorum, qui semper suum officium præstant: item ordinis, puritatis, & simplicitatis nudæ. astris enim nullum velamentum.

Memento qualis fuerit Socrates, cum pellem præcingeret, vbi Xanthippe veste sumpta processit: ac quæ dixerit socijs Socrates pudore affectis, ac recedenti-

dentibus, cum viderent eum in isto or-
natu.

Nunquàm scribere & legere alios do-
cebis, nisi ipse prius didiceris: id multo
magis in vita est præstandum. Seruus es,
ratione cares. tum charum cor mihi ri-
sum sustulit.

Virtuti grauib; facient conuicia verbis.

Insani est, ficus hyeme quærere. Tale
est, puericiam quærere præteritam.

Epiçterus puerum osculatus, inte-
rius cum eo se collocutum dixit,

Fortassis cras mortem obibis.

Abominabile hoc. Imò nihil dictu gra-
ue est, inquit, quòd aliquod opus nature
designat: nisi abominere, quòd spicæ me-
runtur. Vua primùm cruda, deinde maru-
ra fit, pòst passa: hæc omnia rei sunt mu-
tationes, non in nihilum, sed in id quod
iam non est.

Nemo (vt dicebat Epiçterus) latro est
voluntatis. Ars autem, ait idem, inueniē-
da est in adsentiendo: vtq; impetus ani-
mi feruentur, ita vt habeant adiunctam
exceptionem, spectent societatem & di-
gnitatem.

Cupiditate omnino abstinēdū est, neq;
inclinandū ad ea quę nō sunt penes nos.

Itaq;

Itaq;, inquit, non de leui re, sed de infamia certatur, nisi Socrates dixit. Vultis ne compotes rationis animos habere, aut non? Volumus. Cuiusmodi: bonosne, an prauos? Canos. Cur ergo non queritis? Quia habemus. Quid igitur contenditis?

M. ANTONINI IM.

peratoris de vita sua Liber XII.

OMnia ista quæ per circuitus temporum adipisci optas, iam nū habere potes, nisi tibi ipsi inuides. hoc est: Si omne id quod præterijt, omittas, futurum prouidentia committas, id modò quod præsens est, dirigens ad sanctitatem & iusticiam: alteram, vt boni consulas ea quæ tibi fatum tribuit (etenim id natura tibi attulit) alterā, vt liberè ac sine ambagibus veritatem loquaris, agasque secundum legem, & vt dignum est. Non impediat autē te neq; aliena malicia, neq; opinio, neq; vox, neq; sensus circumdatae tibi carnis. Id enim curet, quod afficitur. Itaq; iam in exitu cū sis, tantū mentē tuam, idq; quod est in te diuinum

num, veneraberis: neq; mortem metues, sed ne quando viuere non secundum naturam incipias. Sic homo eris dignus mundo, qui te protulit: neq; amplius eris tanquam peregrinus patria tua, admirans ea quæ quotidie eueniunt, neq; de hac vel illa re dependebis.

Videt Deus omnes mentes, nudas à vasis materialibus, & corticibus istis atque repturgamentis. Sola enim sua intelligentia sola ista cōtingit, quæ ab ipso huc defluerunt ac deriuata sunt. Quod ipsum tu quoque si facere adsuescas, magna ex parte efficies, ne ita circumtrahare. Qui enim non aspicit carnem circumiectam, is ne occupetur in veste, domo, gloria, reliquisq; exterioribus, ac quasi tabernaculo contemplando?

Tria sunt, ex quibus constas: Corpus, anima, mens. Priora duo tantum ea ratione tua sunt, quod eorū curam geris: tertium solum verè tuum est. Quod si separe à te, quæ alij dicunt aut faciunt, aut quæ tu ipse, aut quæ te futura perturbāt, aut quæ corpori tibi circumdato, vel animulæ vnà natæ præter tuam voluntatem accidunt, ac quæ fluctus externarum rerum voluit: ita vt intellectus ab
illis

illis rebus quę fato vnà sunt, exemptus liberam apud seipsam vitam viuat, agens inſta, probans euenta, dicens vera: ſi inquam remoueas à mente res quę ei conſenſu quodam naturę adhærent, itemq; futurum & præteritum tempus, efficies ex teipſo globum, qualis ille Empedocleus:

Se ſolo exultans, totus teres atq; rotundus.

